



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vanitas Vanitatum Consideratione Seria Evanescens**

**Bellegambe, François**

**Insulis, 1681**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51072](#)




~~0-11~~

42 Th. 2969.

I. V

25



0





VANITAS  
VANITATUM

CONSIDERATIONE SERIA  
EVANESCENTS,

Omnibus veræ sapientiæ Præ-  
conibus & Candidatis  
proposita

à R. P.  
FRANCISCO BELLEGAMBE  
*è Societate IESV.*

Vanitas vanitatum, & omnia vani-

*Coll. Soc. Jesu Eccle. I.*



INSULIS.

Typis FRANCISCI FIEVET,  
ad Biblia Regia in Ponte Finali. 1681.

*Superiorum permisso.*

САТИРА  
УАНИТАМ

CONSIDERATIONE SERIA  
BYVANEGRA

БИБЛІОГРАФІЯ  
КОЛЛЕКЦІЯ  
БІБЛІОГРАФІЯ

БІБЛІОГРАФІЯ  
БІБЛІОГРАФІЯ

БІБЛІОГРАФІЯ  
БІБЛІОГРАФІЯ



ІНСУЛІ

ІНСУЛІ  
ІНСУЛІ

M A R I E

SEDI SAPIENTIAE<sup>(a)</sup>  
AB ÆTERNO ORDINATAE, (b)

Quam Dominus possedit in initio  
 viarum suarum, (c)  
 in qua  
 Sapientia ædificavit sibi domum, (d)  
 & Creator omnium requievit (e)  
 VERBUM CARO FACTUM : (f)  
 M A T R I pulchritæ dilectionis,  
 & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei;  
 in qua gratia omnis viæ & veritatis,  
 omnis spes vitæ & virtutis : (g)  
 SPECULO SINE MACULA, (h)  
 Seraphim tertiiori & puriori,  
 & tantæ puritatis,  
 ut purius intelligi non posset; (i)  
 (nempe decens erat, ut eâ puritate,  
 qua major sub Deo nequit intelligi,  
 Virgo niteret) (k)

(a) Lit. Lauret. (b) Prov. 8. (c) Ibid. (d) Prov.  
 9. (e) Eccli. 24. (f) Ioan. 1. (g) Eccli. 24. (h)  
 Sap. 7. (i) S. Th. opusc. 61. in tr. 2. gradu 10.  
 [k] Anselm. de Concep. Virg. c. 18.

TEMPLO  
digno Dei magnitudine, (l)  
SACRARIO SPIRITUS SANCTI, (m)  
Continenti cum  
qui nusquam contineri potest, (n)  
THRONO DEI,  
ET AULÆ REGIS ÆTERNI, (o)  
(p) in qua beneplacitum fuit  
Deo habitare: (p)  
Signo magno, quod apparuit in cœlo,  
MULIERI AMICTÆ SOLE, (q)  
Vestienti Solem, quo ipsa vestitur; (r)  
quæ profundissimam divinæ  
Sapientiæ, ulcræ quam credi valeat,  
penetrauit abyssum; (s)  
de qua Veritas orta est, (t)  
& ortus Sol justitiæ: (u)  
MATRI DIVINÆ GRATIÆ,  
amabili, admirabili, (x)  
Thesauro Domini,  
& Thesaurariæ gratiarum ipsius; (y)  
per cuius manus, dona,  
virtutes, & gratiæ Spiritus sancti,

(l) Damasc. l. 4. de file c. 15. (m) Ecclesia. (n)  
Cyril Alex. hom. contra Nestor. (o) To. 9. oper.  
August. de Assumpt. (p) Bernard. deprec. ad  
B. V. ex Ps. 67. (q) Apoc. 12. [r] Bernard.  
serm. in Signum magn. (s) Ibid. (t) Ps. 8. (u)  
Ecclesia. (x) Lit. Lauret. (y) Raymund. Iordan.  
Abbas, vulgo Idiota, prolog. contempl. de B. V.

quibus vult , quando vult ,  
quomodo vult ,  
& quantum vult , administrantur : (z)  
VITÆ , SPEI ,  
ET ADVOCATÆ NOSTRÆ ; (aa)  
quâ inventâ invenitur omne bonum :  
Ipsa namque diligit diligentes se ,  
imò sibi servientibus servit ; (bb)  
Quam Matrem misericordiæ ,  
Reginam pietatis , &  
Mediatricem hominum apud Deum ,  
vocat , imò clamitat  
omnis Ecclesia Sanctorum : (cc)  
Cujus gratositas  
nunquam repulsam patitur ,  
Cujus misericordia  
nunquam ulli defuit ,  
Cujus benignissima humilitas  
nullum unquam deprecantem  
quantumcunque peccatorē despexit : (dd)  
STELLÆ MARIS ,  
maris utique magni & spatioſi ; (ee)  
Sine qua nil nisi caligo involvens ,  
& umbra mortis ,  
ac densissimæ tenebræ : (ff)

(z) Bernardin. de 12. gratiis seu Nativ. B. V. c. 8.  
(aa) Salve Regina. (bb) Idiota suprà. (cc) Gui-  
lielm. Paris. de Rhetor. div. c. 18. (dd) Ibid.  
(ee) Bernard. fermt. de aqueductu , ex Ps. 103.  
(ff) Ibid.

per quam Christiani  
diriguntur ad gloriam : (gg)  
quæ longè positos , illuminat  
radiis misericordiæ suæ ;  
sibi propinquos per specialem  
devotionem , consolationis suavitatem ;  
præsentes sibi in patria ,  
excellentiâ gloriæ : (hh)  
Illi piæ , magnæ , multum amabili

## M A R I A E ,

quæ nec nominari quidem  
potest quin accendat ,  
nec cogitari quin recreet  
affactus diligentium se ; (ii)  
de cuius laude  
nondum desiderio satisfecimus ,  
nec aliquando in defectu  
corruptibilis hujus vitæ  
satisfieri posse credimus ; (kk)  
ut viam sapientiæ monstret mihi ,  
ducat me per semitas æquitatis , (ll)  
animam meam ab omnibus  
terrenis affectibus emundet ,  
rerumque cœlestium

(gg) S. Thom. opusc. 8. (hh) Idiotæ sup. (ii)  
Bernard. deprec. ad B. V. (kk) Franco Abb.  
Affligen. l. 6. de gratia Dñi. [ll] Prov. 4.

'amore inflammet; (*mm*)  
supplex  
coram ejus celsitudinis gloria  
genu flecto, ac plenis suspiriis  
preces transmitto. (*nn*)

(*mm*) *Psalt. Bonav. B. V. sabbatho.* (*nn*) *Ber-*  
*nard. deprec. ad B. V.*



Ε

ΦΙΛΟΣΟΦΙΚΗ ΜΑΘΗΜΑΤΙΚΗ ΚΑΙ ΕΠΙΣΤΗΜΟΝΙΚΗ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ ΠΑΙΔΕΙΑΣ

## APPROBATIO LIBRORUM CENSORIS.

**N**onnulla vitæ Christianæ principia hoc Libello tam clarè ex sacris Litteris , tam copiosè ex sanctis Patribus stabiliuntur , tot solidis rationibus demonstrantur, tótque exemplis elucidantur : ut qui suis ea momentis expenderit, pro certis ac securis veritatibus , non pro paradoxis , nisi nimio mundanarum vanitatum affectu fuerit præoccupatus , habere debeat. Publicâ proinde luce meritò donari posse censem. Insulis s. Martij 1681.

R. DU LAURY L. C.

CCCCC. CCCCC. CCCCC.

## FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

Ego infra - scriptus Societatis JESU  
in Gallo-Belgica Provincialis,  
potestate mihi factâ à R. P. N. Ge-  
nêrali JOANNE PAULO OLIVA,  
facultatem do FRANCISCO FIEVET  
Typographo Insulensi, ut Librum,  
cui titulus est, *Vanitas vanita-  
tum consideratione seriâ evanescens*, à P.  
FRANCISCO BELLEGAMBE ejus-  
dem Societatis cōpositum, & Pa-  
trum ad id deputatorum judicio ap-  
probatum, ad sex annos proximos im-  
primere, & liberè distrahere possit.  
In quorum fidem has manu propriâ  
subscriptas, & officii mei sigillo mu-  
nitas dedi. Insulis 21. Martii 1681.

. V. QUITA HEDD  
ANDREAS DE PREU.  
MONTEAUX.



# INDEX CONSIDERATIONUM.

<b>INTRODVCTIO.</b>	pag. 1.
<b>ORATIONES</b> præmittenda aut interserenda.	19.
<b>Iaculatoria.</b>	27.
<b>CONSIDERATIO I.</b>	
<i>Vana hominum studia.</i>	31.
<b>CONSIDERATIO II.</b>	
<i>Vera sapientia.</i>	43.
<b>CONSIDERATIO III.</b>	
<i>Stulta sapientia.</i>	54.
<b>CONSIDERATIO IV.</b>	
<i>Sapiens stultitia.</i>	67.
<b>CONSIDERATIO V.</b>	
<i>Scientia vana.</i>	80.
<b>CONSIDERATIO VI.</b>	
<i>Vera scientia.</i>	95.

# INDEX.

## CONSIDERATIO VII.

*Studium veritatis.* 111.

## CONSIDERATIO VIII.

*Mundi vanitas.* 127.

## CONSIDERATIO IX.

*Mundana omnia, nihil.* 143.

## CONSIDERATIO X.

*Vnum bonum, omne bonum.* 159.

## CONSIDERATIO XI.

*Infelix mundi felicitas.* 175.

## CONSIDERATIO XII.

*Mundi cæcitas.* 193.

## CONSIDERATIO XIII.

*Mundi perversitas.* 210.

## CONSIDERATIO XIV.

*Mundus fallax.* 227.

## CONSIDERATIO XV.

*Mundi pericula.* 243.

## CONSIDERATIO XVI.

*Dura mundi servitus.* 260.

## CONSIDERATIO XVII.

*Idgum Christi suave.* 276.

## CONSIDERATIO XVIII.

*Mundus Christo oppositus.* 295.

## CONSIDERATIO XIX.

*Anima mundo capacior.* 312.

## CONSIDERATIO XX.

*Anima mundo pretiosior.* 327.

INDEX.  
CONSIDERATIO XXI.

Abrenuntiatio mundi necessaria. 344.

CONSIDERATIO XXII.

Contemptus mundi quaestuosus. 360.

CONCLUSIO. 376.



VANITAS

CONSIDERATIO XXIII.

Vanitas Christi (verso)

CONSIDERATIO XXIV.

Vanitas Christi (recto)

CONSIDERATIO XXV.

Vanitas Christi (recto)

CONSIDERATIO XXVI.

Vanitas mundi (verso)

CONSIDERATIO XXVII.

Vanitas mundi (recto)

4.  
5.  
6.  
X  
M  
M  
M  
I  
M  
S  
A

EDUARDII  
VANITAS  
VANITATUM  
CONSIDERATIONE SERIA  
EVANESCENS.

INTRODUCTIO

*Ad sequentes considerationes.*



A N I T A S vanitatum,  
dixit Ecclesiastes : va-  
nitas vanitatum , &  
omnia vanitas. Quid  
habet amplius homo de  
universo labore suo ,  
quo laborat sub sole ? Vidi cuncta  
quæ fiunt sub sole ; & ecce universa  
vanitas , & afflictio spiritus. (a) Ne-  
que contentus semel iterumque verbis adeò  
gravibus declamasse Regum potentissimus ac  
sapientissimus , idem passim repetit exponit-  
que isto suo libro , ut cap. 2. Vidi in om-  
nibus vanitatem ; & cap. 3. Cuncta sub-  
(a) Eccle. 1. A

## INTRODUCTIO.

jacent vanitati; ac denique, quibus auspicatus fuerat, ijsdem vocibus orationem concludit, dicens: Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas. (b) Tunc sublimem illam ( verba sunt Chrysostomi ) & cœlis dignam emisit vocem Salomon, ubi ad se reversus, & quasi ex umbrosa quadam abyssō ad lumen veræ sapientiæ respicere valuit: (c) qui ( ut loquitur Hugo Victorinus ) Iupra omnia caduca & transitoria mente raptus, vidit universorum nihil esse quod maneat, & quasi stupore novæ hujus atque insolitæ visionis territus, exclamavit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Universitatem enim intuebatur, & totam vanitati subiectam, ejusque vanitatem, omnium vanitatum vanitatem; id est, omnem vanitatem in se continentem, appellavit. Omnia enim vanitas, & ex omnibus universitas, & universa vanitas. (d) Hoc dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in vijs, in fenestris, in januis, sed potissimum in ipsâ cujusque conscientiâ continen-

(b) Eccle. ult. (c) Orat. contra concubin, c. 12  
(d) Hugo à S. Vict., ill. 1. Eccles.

## INTRODUCTIO. 3

ter inscriptum esse oportet, omni<sup>que</sup> tempore cogitationi obversari: quan- doquidem negotia fraudulenta & per- sonata ac mimica veritatis opinionem apud plerosque sibi paraverunt. Hoc dicto, in prandio, in cœna, in cœtu hominum, quemque proximum suum compellare oportebat, idemque ab il- lo vicissim audire, nempe quod Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.<sup>(e)</sup>

Filij hominum, usquequod graviter corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?<sup>(f)</sup> Vanitas vanita- tum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi soli servire. Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cœlestia. Va- nitas igitur est, divitias perituras quæ- rere, & in illis sperare. Vanitas quo- que est, honores ambire, & in al- tum statum se extollere. Vanitas est, carnis desideria sequi, & illud deside- rare, unde postmodum graviter opor- tet puniri. Vanitas est, longam vi- tam optare, & de bona vita parum curare. Vanitas est, præsentem vitam solum attendere: & quæ futura sunt,

A ij

(e) Chrysost. in Eutropium. (f) Ps. 4,

## 4 INTRODUCTIO.

non prævidere. Vanitas est, diligere,  
quod cum omni celeritate transit: &  
illuc non festinare, ubi sempiternum  
gaudium manet. (s) Tenet me, Deum  
testor (*verba sunt Mirandulani Principis*,  
(h) *& his sensum animi etiam mei ape-  
rio*) tenet me aliquando ecstasis  
quasi & stupor quidam, cum me-  
cum incipio studia hominum, aut,  
ut dixerim significantius, meras insa-  
nias, nescio an cogitare potius quam  
dolere, mirari an deplorare. Magna  
enim profecto insanias, Evangelio non  
credere, cuius veritatem sanguis Mar-  
tyrum clamat, Apostolicæ resonant  
voces, prodigia probant, ratio con-  
firmat, mundus testatur, elementa  
loquuntur, dæmones confitentur. Sed  
longè major insanias, si de Evangelij  
veritate non dubitas, vivere tamen  
quasi de ejus falsitate dubitares. Nam  
si illa sunt vera; difficillimum esse,  
divitem ingredi regnum cœlorum;  
quid cumulandis quotidie divitijs in-  
hiamus? Et, si illud est verum, quæ-  
rendam gloriam, non quæ ex homi-

(g) *Tb. à Kemp. de imit. l. 1. c. 1.* (h) *Ep. I; ad  
Nepot.*

## INTRODUCTIO. 3

nibus, sed quæ ex Deo est; cur de  
judicijs hominum semper pendemus?  
Et, si firma in nobis est fides, fu-  
turum aliquando, ut Dominus dicat,  
Ite maledicti in ignem æternum: &  
rursus, Venite benedicti, possidete reg-  
num paratum vobis à constitutione  
mundi; cur nihil minus aut timemus  
quàm gehennam, aut speramus quàm  
regnum Dei? Quid possumus dicere,  
quàm, multos esse nomine Christia-  
nos, sed re paucissimos? Hactenus sa-  
pientissimus Princeps. Sed, unde, quæso,  
tam vana, tamque perversa hominum stu-  
dia? Nimirum Desolatione desolata est  
omnis terra, quia nullus est qui re-  
cogitet corde. (i) Profectò si saperent  
homines, & intelligerent, ac novissi-  
ma providerent; (k) non jam vanitatis,  
sed veritatis unius aseclæ, quæ sursum  
sunt, saperent, non quæ super ter-  
ram. (l) Saperent, (ut calamo S. Ber-  
nardi utar) quæ Dei sunt; intellige-  
rent, quæ mundi sunt; providerent,  
quæ inferni sunt. Profectò inferna  
horrerent; superna appeterent; quæ ad

A iij

(i) Ierem. 12. (k) Deuter. 32. (l) coloss. 3.

## 6 INTRODUCTIO.

malum sunt, contemnerent. (m)

O rem mirandam ! (exclamat aurea  
Facundiā Präful Antiochenus.) quomodo  
omnes præsentibus rebus inhiant, &  
futurarum intelligentiam nunquam ac-  
cipiunt, sed in corporeas quidem vo-  
luptates jugiter feruntur, animas ve-  
rò fame tabescere sinunt!... Quocirca  
magnopere deplorans animis homi-  
num circumfusam dementiam, cras-  
samque caliginem obtensem, vellem  
speculam aliquam excelsam invenire,  
quæ mihi omnia genera hominum  
cernenda subjiceret: vellem autem &  
vocem indipisci, quæ ad extremos fi-  
nes circumquaque personaret, & om-  
nibus qui super terram vivunt, suffi-  
ceret: & stare, & vociferari, davi-  
dicâque illa voce exclamare: Filij ho-  
minum quoisque gravi corde? (n)  
Quid est autem esse gravi corde?  
Graves corde sunt, qui sunt crasso  
corde, carnales, affixi terræ.... Nihil  
enim facit cor adeò grave, ut libido,  
& ad ea, quæ ad hanc vitam perti-  
nent, affectio, & terræ affixum esse.

(m) Bernard. ep. 292. (n) Chrysost. orat. de  
anima to. 5.

## INTRODUCTIO. 7

Quod tale est, non erraverit qui cor  
luteum appellaverit.... Vanum autem  
illud dicitur, quod est inane, quando  
nomen quidem fuerit, res nequaquam.  
Ita apud Græcos nomina quidem deo-  
rum multa, res verò minimè: & in  
alijs similiter, nomen divitiarum, res  
autem minimè; & nomen gloriæ, res  
verò minimè: nomen potentiae, &  
remanet solum nomen. Quis est er-  
go adeò excors, ut quærat nomina,  
quæ rebus destituuntur? & persequa-  
tur inania, quæ oportet fugere?  
Nonne omnia mentiuntur, & deci-  
piunt? Etiamsi dixeris gloriam, etiamsi  
divitias, etiamsi potentiam; omnia  
sunt vanitas. Propterea dolore affici-  
tur Prophetæ; dum in vita videt tan-  
tam amentiam: perinde enim est ac-  
squis cum videat quempiam lucem  
fugientem, tenebras autem persequen-  
tem, ei dicit: Cur hoc facis adeò ab-  
surdum & præter rationem? Ita enim  
ipse: Cur diligitis vanitatem, & quæ-  
ritis mendacium? (o) Quod menda-  
cium quæritis? mundum.... Non vul-  
tis esse graves, qui terreno menda-

A iiiij

(o) Chrysost: in ps. 4. to. 1.

### 3 INTRODUCTIO.

cio oneratis cor vestrum ? ... Volentes beati esse , eas res quæritis , unde miseri sitis. Fallit vos quod quæratis : mendacium est quod quæratis. ( p )

Istam Psalm & regij increpationem admisit tandem sapiens Augustinus ; & quam expertus est in se animi commotionem , eandem salutarem peroptat omnibus vanitatum sectatoribus : Audivi & contremui , quoniam talibus dicitur , qualem me fuisse reminiscebar. In phantasmatibus enim , quæ pro veritate tenueram , vanitas erat & mendacium. Et insonui multa graviter & fortiter in dolore recordationis meæ. Quæ utinam audissent , qui adhuc diligunt vanitatem , & quærunt mendacium : fortè turbarentur , & evomuissent illud... Volentes enim gaudere forinsecus , facile evanescunt , & effunduntur in ea quæ videntur & temporalia sunt , & imagines eorum famelicâ cogitatione lambunt. Et ô si fatigentur inedia , & dicant : Quis ostendet nobis bona ? ( q ) Misericordia & Sanctorum Bernardum vanorum hominum miseranda fatuita-

( p ) August. serm. 141. de Temp. ( q ) August. l. 9. Confess. c. 4.

## INTRODUCTIO. 9

tis, quam tibi hisce verbis depingit: Vidi  
ego aliquando quinque viros, quidni  
phreneticos arbitrer? Primus quidem  
buccis tumentibus marinam masticabat  
arenam. Secundus sulphureo adstans  
lacui, exhalantem teterimum fœti-  
dissimumque gestiebat haurire vapo-  
rem. Porro tertius fornaci incubans  
vehementer accensæ, micantes scintil-  
las hiantibus excipere faucibus læta-  
batur. Quartus supra pinnaculum tem-  
pli residens, levioris auræ spiritum  
aperto attrahebat ore: & si quo mi-  
nus influere videretur, flabello sibi  
ventum ipse ciebat, ac si totum spe-  
raret aërem deglutire. Quintus seor-  
sum positus ridebat cæteros, ipse quo-  
que ridendus & maximè. Proprias  
enim carnes incredibili quodam stu-  
dio sugere laborabat: nunc manus,  
nunc brachium, nunc alias partes ap-  
plicans ori. (r) En egregios vanitatum  
aucupes, famelicos inanitatum helluones,  
fordium, quisquiliarum, & luti, verbo uno  
& plando, mundi deliros amatores. Hoc  
stultum & extremæ dementiæ est, ea  
semper appetere, quæ nunquam, non

(r) Bernard. serm. ecce nos reliquimus.

## INTRODUCTIO.

dico, satient, sed nec temperent appetitum; dum quidquid talium habueris, nihilominus non habita concupiscas, & ad quæque defuerint, semper inquietus anheles. Ita enim fit, ut per varia & fallacia mundi oblectamenta vagabundus animus inani labore discurrens fatigetur, non satietur, dum quidquid famelicus ingluerit, parum reputet ad id quod superest devorandum; semperque non minus anxiè cupiat quæ desunt, quam, quæ adsunt, lètè possideat.... His anfractibus ludit secum vanitas, menitur iniquitas sibi.... Hoc in circuitu impij ambulant, naturaliter appetentes unde finiant appetitum, & insipienter respuentes unde propinquenter fini. Fini, dico, non consumptionis, sed consummationis.... Denique si famelicum hominem apertis fauibus vento, inflatis haurire buccis aërem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris insaniae est, si spiritum rationalem rebus puces quibuscumque corporalibus non magis inflari quam satiari. Quid namque de corporibus ad spiritus? (f)

(f) Bernard. tract. de diligendo Deo.

## INTRODUCTIO. II

Vanitas vanitatum , & omnia vanitas. Ioannes Iacobus Medices, Marchio Maignani , pilas ventosas in suo symbolo posuit , adjecta , ut vulgo dicimus , syringa , qua illae pileae , seu inflati folles , aere implentur , addita epipraphe hispanica : Todo es viento : id est , totum venitus est & inanis aer , quod in mundo quaritur. Joanna Regina Hispaniae , Ferdinandi Regis Filia , Philippi uxor , orbi insidentem pavonem delineavit , plumas extendentem , bac epipraphe : Vanitas. Martinus V. Pontifex in medio ignis luculenti posuit tiaras Pontificum , coronas Imperatorum , Regum diademata , pileos Cardinalium , mitras Episcoporum , sceptrum , ensim , & globum Imperatorium , additam inscriptione : Sic omnis gloria mundi : supple , transit , vel , in cineres resoluitur. (t) In rosa typo , mundi pulchritudinem , sed caducam , representat summus Pontifex ; singulis enim annis , quartam Dominicam Quadragesimam , rosam auream pannis ritibus sacerat ; finitoque officio , Principi alicui presenti offert , aut ad absentem mittit. Sic Alexander III. misit Regi Scotiae : Paulus II. Ferdinandio Filio Ferdinandi Regis Neapolitani :

(t) P. Thomas le Blanc in Ps. 143. n. 39.

12 INTRODUCTIO.

Paulus V. Ludovico XIII. Francorum Regi; ut rosæ eos monerent vita fragilitatis; & aurum omne, gemmas, honores, esse rosam pulchram, sed citò marcescentem: ait, qui & refert, noster Thomas le Blanc. (u) At verò magnus ille & aureus Ecclesiastes Chrysostomus, ut principio retuli, monet, ubique inscribendum, dicendum passim esse, & occinendum, ac lumbenter audiendum salutare illud maximi Ecclesiastæ carmen: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Id quod & sacris alijs Praeconibus, atque animarum studiosis, familiare fuit, pro concione, privatis congressibus, alijsque modis, auribus animisque mortalium committere & altè impri- mere. Duaci Anno 1611. (ut habent Annales MS. Sodalitatis Philosophorum) morienti Patri Henrico Asbroeck qui adfuere, magnum moriendi ac mundi contemnendi desiderium inde hausere. Oblatas sibi à Sodalibus Philosophis, quibus præerat, preces, Deo statim obtulit ut citius & melius moreretur. Patri, qui ei in Sodalitatis rectione succedebat, supremum pro Sodalibus documentū petenti, ducto altè suspirio, Magnam, ait, rem faceres, Pater, si ado-

(v) In Ps. 83. n. 37.

## INTRODUCTIO. 13

lescentibus istis persuadere posses contemptum vanitatum hujus mundi. Putant enim aliquid esse: & nihil est, & nihil est, & nihil est. (x)

Quod ego optimum saluberrimumque documentum secutus, omnibus veritatis & Sapientiae amatoribus, hoc est, salutis aeternae cupidis, aliquot exhibeo considerationes, quibus ex mortalium animis evanescat vanitas illa vanitatum, & altè insideat veritas, rerumque aeternarum, verorum bonorum, oriatur, augescatque amor. Porro in illis de meo vix quidquam est, praeter operam studiumque, quo collectas ex divinis codicibus ac scriptoribus sacris sententias atque historias disposui & contexui. E profanis ethnicisque nihil mutuatus sum, indignum reputans quidpiam ex illis proferre, ubi suprema Veritas ejusque fidei Praecones claris adeò gravibusque effatis vanitatem mundi amatorum propalant, impugnant, damnant. Venit Dominus Christus, Sapientia Dei. Cœlum tonat. Ranzæ taceant. Quod dixit Veritas, verum est. (y) Ad hæc, ut rectè Author operis imperfecti in Matthæum: (z) Omne verbum, quod non habet in

(x) Nadasi pretios. occupat. morient. c. 38.

(y) August. Serm. 139. de Temp. (z) Hom. 46.

## 14 INTRODUCTIO.

se veritatem Dei, mortuum est, quemadmodum sine sanguine corpus. Propterea omnia verba divina, quamvis rusticā sint & incomposita, viva sunt: quoniam intus in sensibus suis habent positam veritatem Dei, quasi sanguinem in venis inclusum, & ideo vivificant audientem, sicut testatur Petrus ad Christum dicens: Quò ibimus? verba viva habes. Hinc Hieronymus Paulinum monet: Semper in manu tuâ sacra sit lectio. (aa) Et Demetriadem: Ama scripturas sanctas, & amabit te sapientia: dilige eam, & conservabit te: honora illam, & amplexabitur te. (Prov. 4.) (bb) Altissimis autem divinae sapientiae proponendis eloquijs explanandisque adducuntur sacri scriptores, quos velut lucernas super Ecclesia suæ candelabrum posuit Christus Dominus, ut quod ab aeterna Veritate huiuscere lumen, diffundant quaquaversum, excitentque sanctum ardorem, accommodato veluti temperamento ad imbecillitatem intelligentiae nostræ, divina ægrè capientis, torporemque voluntatis ad unius verique, quod sub sensum non cadit, boni prosecutionem.

(aa) Ep. ad Paulin. (bb) Ep. ad demetriad.

## INTRODUCTIO. 15

Itaque considerationes singulas in tres veluti articulos distinguo. Primus ex Scripturis divinis ferè constat: alter ex Authoribus ecclesiasticis: tertius historias continet sententij firmandis, movendisque animis. Ut verò fructum ex ijs capias, cursim ne legito, sed meditatè inhæreto, in animum demittito, neque tam intellectum quam voluntatem pascito. Quid enim prodest, lectione continuâ tempus occupare, Sanctorū scripta & gesta legendo transcurrere, nisi ea masticando & ruminando, succum & bibamus, & transglutiendo usque ad cordis intima transmittamus? (cc) Vnde & Apostolus Iacobus monet: Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipos. Quia si quis auditor est verbi, & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, & abiit; & statim oblitus est qualis fuerit. (dd) Et Veritas ipsa: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. (ee) Non enim magnum est, virtutem cognoscere; sed studiosè agere, id cer-

(cc) Lib. de scala parad. 10: 9. oper. August. (dd)  
Iac. 1. (ee) Ioan. 13.

## 16 INTRODUCTIO.

tè maximum est. (ff) Maximum ad justitiam auxilium est, implere divinis eloquijs animum, & , quod opere exequi cupias, semper corde meditari.... Sint ergo divinæ Scripturæ semper in manibus tuis, & jugiter mente voluantur. Nec sufficere tibi putes, mandata Dei memoriâ tenere, & operibus oblivisci. Sed ideo illa cognosce, ut facias quidquid faciendum didiceris. (gg) Finis igitur considerationis tuæ sit vitæ secundum ea, quæ hic legeris & meditando pertractâris, conformatio, vanitatum mundi contemptio , veritatis ac summi boni cognitio & desiderium. Quem fructum ut consequare , accede ad legendum meditandumque ( ut exercitia spiritualia suscipienti commendat S. Parens noster Ignatius , ( hh ) magno animo atque liberali , cognoscenda & amanda veritatis studio : & quo in puncto, aut etiam versu , piam animi motionem ac devotionem senseris , conquiesce sine transcurrendi anxietate , donec tibi satisfeceris ; quod est etiam monitum ejusdem

( ff ) Cyril. Alexand. l. 9. in Ioann. c. 9. ( gg ) Hieron. aut Paulin. ep. ad Calantia. ( hh ) Annotat. 5. ad exercitia.

## INTRODUCTIO. 17

magni animorum Magistri. (ii) Nec parum juvabit, lectioni seu considerationi premittere aliquam ex ijs, quas suljicio, precationibus; ac tum, atque etiam in decursu, imò & illâ peractâ, usurpare identidem nonnullas piarum aspirationum seu orationum brevium, quas jaculatorias vocant, ex ijs quas paulò post apponam, aut istiusmodi alias, quas vel libri sacri & p̄j, vel animus ipse tuus facile suggereret.

Hanc methodum si servaveris, mi Christiane, non dubito, quin divinâ favente gratiâ, quæ nulli non præsto est salutis cupienti, ex animo tuo, siquæ insederit, vanitatis mundanæ umbra prorsus evanescat; atque adminicula nec pauca nec levia hinc promas, quibus vanissimam vanitatem deellas ex aliorum mentibus, atque inseras veritatem. Hoc est unicum votum meum amantis omnium salutem; hic unicus opel-  
la mea scopus, cuius non leve pretium ac-  
cessisse fatebor, & Deo, à quo bona cun-  
cta procedunt, gratulabor; si vel è morta-  
libus unum, à vano inanitatum mundi a-  
more, ad veritatem & sapientiam, harum  
ope considerationum (quas ejus nomini &  
honori supplex consecro) traduxerit Salva-  
tor noster Deus, qui omnes homines  
(ii) Addit. 4.

18 INTRODUCTIO.

vult salvos fieri , & ad agnitionem  
veritatis venire. ( kk )

Ad extremum te moneo , aditos à me  
esse , quantum sanè licuit diligentissimè ,  
fontes ipsos , ex quibus hausi sententias at-  
que historias ; quas ita plerumque contextas  
vides , ut ipsæ etiam particulae connecten-  
tes , sint Authorum. Illud siquidem adla-  
boravi , ut succum haberes pietatis , qui è  
divinis litteris Authorumque piorum scriptis  
copiosus emanat in legentium meditantium  
que utilitatem. Quia verò quorundam  
Scriptorum variæ sunt editiones ; ideo ne  
continuò erratum à me judices , si forte  
quid aut loco aut tenore discrepare cum le-  
ctis alibi à te , vel ab alio laudatis , de-  
prehenderis. Neque tamen immunem me  
ab omni errore deprædico : expertus loquor ,  
quàm facile aberret calamus , imò & ocul-  
lus , ubi plura legenda & notanda occur-  
runt. Ut ne errarem , conatum adhibui  
& diligentiam ; siquid irrepserit , excusa.  
Vale , utere hoc qualicumque enchiridio ,  
quod tibi familiare peropto ; ac demum ,  
quam tibi ex animo voyeo , tu impetra mihi  
à Domino , ut coitem mihi merear  
habere Sapientiam. ( ll ).

(kk) 1. Tim. 2. (ll) Hieron. ep. ad Pammach.



## ORATIONES

*Præmittendæ aut interserendæ considerationibus.*

**D**eus patrum meorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientiâ tuâ constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ à te facta est: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à servis tuis: quoniam servus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum. Mitte illam de coelis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut tecum sit, & tecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. (a)

Mentes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. (b)

(a) Sap. 9. (b) Fer. 4. Pentecost.

20 ORATIONES.

Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis: da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis: ut inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. (c)

Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam: ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. (d)

Largire nobis, quæsumus Domine, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius & agendi: ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. (e)

Multum, Domine, de tua bonitate præsumo, quoniam tu ipse doces petere, quærere, & pulsare. Et ideo tuâ oratione admonitus, peto, quæro, & pulso. Et tu Domine qui jubes petere, fac accipere: consulis quærire, da & invenire: doces pulsare, aperi pulsanti; & confirma me infirmum, restaura me perditum, suscita

(c) Dom. 4. post Pascha. (d) Dom. 3. post Pentec. (e) Dom. 8. post Pentec.

## ORATIONES. 21

me mortuum; & omnes sensus meos,  
cogitatus, & actus dirigere & gu-  
bernare digneris in beneplacito tuo,  
ut de cætero tibi serviam, tibiique  
me tradam. (f)

Aperi mihi, ô Clavis David: qui  
aperis, & nemo claudit illi, cui tu  
aperis: claudis, & nemo aperit illi,  
cui tu claudis: aperi mihi ostium lu-  
minis tui, ut ingrediar, & videam,  
& cognoscam, lumen oculorum meo-  
rum, per quod video, sine quo or-  
bor. (g)

Ægrotus sum, ad medicum clamo;  
cœcus sum, ad lucem propero: mor-  
tuus sum, ad vitam suspiro. Tu es  
medicus, tu lux, tu vita, JESU Na-  
zarene. Miserere mei Fili David,  
miserere mei fons misericordiæ. Au-  
di quid ad te clamat infirmus: lux  
quæ transis, exspecta cœcum, præbe  
ei manum, ut ad te veniat, & in  
lumine tuo videat lumen. Vita vi-  
vens revoca mortuum. (h)

Erravi, & recordatus sum tui. Au-  
divi vocem tuam post me ut redirem,

(f) Augustin. meditat. c. 39. (g) Soliloq. c. 7.  
(h) Ibid. c. 2.

## 22 ORATIONES.

& vix audivi propter tumultus peccatorum. Et nunc ecce redeo æstuans & anhelans ad fontem vivum. Nemo me prohibeat: hunc bibam, & tunc vivam. (i)

Cognoscam te cognitor meus, cognoscam te sicut & à te cognitus sum. Virtus animæ meæ intra in eam, & coapta tibi, ut habeas & possideas sine macula & ruga. Hæc est spes mea; ideo loquor, & in ea spe gaudeo, quando sanum gaudeo. Cætera verò vitæ hujus tantò minus flenda, quantò magis fletur in eis; & tantò magis flenda, quantò minus fletur in eis. Ecce enim veritatem dilexisti, quoniam qui facit eam, venit ad lucem. (k)

Fac mecum, Domine J E S U, tuam misericordiam, ut te amem dulciter, prudenter, fortiter. Dulciter, ne amaritudine avertar: prudenter, ne decipiar: fortiter, ne opprimar, aut ab amore tuo ullo modo sive mundi gloriâ, sive carnis illecebrâ, aut voluptatibus abducar. (l)

(i) L. 12. conf. c. 10. (k) L. 10. conf. c. 19.

(l) Idigta contempl. de amore div. c. 26.

Loquere tu Domine Deus meus æternæ Veritas , ne forte moriar , & sine fructu efficiar , si fuero tantum foris admonitus , & intus non accensus : ne sit mihi ad judicium verbum auditum & non factum ; cognitum , nec amatum ; creditum , & non servatum . Loquere igitur Domine , quia audit servus tuus : ( 1. Reg. 3. ) verba enim vitæ æternæ habes ( Ioan. 6. ) ( m )

Clarifica me , bone J E S U , claritate interni lumenis : & educ de habitaculo cordis mei tenebras universas . Emitte lucem tuam , & veritatem , ut luceant super terram , quia terra sum inanis & vacua , donec illumines eam . Eleva mentem meam pressam mole peccatorum , & ad cœlestia totum desiderium meum suspende : ut gustatâ suavitate supernæ felicitatis , pigeat de terrenis cogitare . Rape me , & eripe ab omni creaturarum indurabili consolatione : quia nulla res creata appetitum meum vallet plenè quietare & consolari . Iunge me tibi inseparabili dilectionis vinculo : quoniam tu solus sufficis amanti ,

( m ) Tho. à Kemp , de imit. l. 3. c. 2.

## 24 ORATIONES.

& absque te frivola sunt universa. (n)

O Deus meus, dulcedo ineffabilis, verte mihi in amaritudinem omnem consolationem carnalem, ab æternorum amore me abstrahentem, & ad se, intuitu cuiusdam boni delectabilis præsentis, malè allicientem. Non me vincant, Deus meus, non me vincant caro & sanguis: non me decipiat mundus, & brevis gloria ejus: non me supplantet diabolus, & astutia illius. Da mihi pro omnibus mundi consolationibus, suavissimam Spiritus tui unctionem: & pro omni carnali amore, tui nominis infunde amorem. (o)

Confirmia me Deus, per gratiam sancti Spiritus: da virtutem corroborari in interiori homine, & cor meum ab omni inutili sollicitudine & angore evacuare, nec varijs desiderijs trahi cujuscumque rei vilis aut pretiosæ: sed omnia inspicere sicut transiuntia, & me pariter cum illis transiturum: quia nihil permanens sub sole, ubi omnia vanitas, & afflictio spiritus. O quam sapiens, qui ita considerat! (p)

(n) Ibid. c. 23. (o) Ib. c. 26. (p) Ib. c. 27.

ORATIONES. 25

Da mihi Domine, cœlestem sapientiam, ut discam te super omnia querere, & invenire, super omnia sapere, & diligere: & cetera, secundum ordinem sapientiae tuæ, prout sunt, intelligere. (q)

Fac me, Deus meus, oblivisci omnium mundanorum; da citò abjicere & contemnere phantasmata vitiorum. Succurre mihi æterna Veritas, ut nulla me moveat vanitas. Adveni cœlestis suavitas, & fugiat à facie tuâ omnis iniquitas. Beatus ille homo, qui propter te, Domine, omnibus creaturis licentiam tribuit; qui naturæ vim facit, & concupiscentias carnis fervore spiritus crucifigit. (r)

Domine Iesu, quia arcta est via tua, & mundo despecta; da mihi te, cum mundi despectu, imitari. Non enim major est servus Domino suo, nec discipulus supra magistrum. (Ioan. 13. & Matth. 10.) (s)

Largire mihi, Pater indulgentissime, largire semper sanctæ quietis atque vacationis secretum. Non permittas me turbulentio maligni hujus

B

(q) eod. cap. (r) ib. c. 48, [f] ib. c. 56,

26 ORATIONES.

sæculi strepitu vexari , neque impro-  
bis rerum externalium occupationibus  
distrahi : sed expedi spiritum meum  
ab omnibus impedimentis , ut tibi liberè  
serviam. ( t )


Scio Deus meus quòd probes corda,  
& simplicitatem diligas , unde & ego  
in simplicitate cordis mei latus obtuli  
( offero ) universa. Domine Deus cus-  
todi in æternum hanc voluntatem , &  
semper in venerationem tui mens ista  
permaneat. ( u )

*His alijsque hujus generis orationibus addi-*  
*possunt precationes ad Dominam nostram,*  
*Sapientia incarnata Matrem , ad tutela-*  
*rem Angelum , aliumve è Superis ,*  
*ut perspectâ & damnatâ mundi pravi-*  
*tate , à rebus mundanis ac vanis nos*  
*recipiamus. ( x )*

( t ) *Lad. Blofius ad finem Canon. vite spirit.*

( u ) *1. Paralip. c. 29. ( x ) S. Ignat. 1. hedom.*  
*3. exercit. spirit. colleq. 1.*





## JACULATORIÆ.

**L**oquere, Domine, quia audit ser-  
vus tuus. (a)

Beatus homo, quem tu erudieris  
Domine. (b)

Vias tuas, Domine, demonstra mi-  
hi: & semitas tuas edoce me. (c)

Dirige me in veritate tua, & doce  
me: quia tu es Deus Salvator meus (d)

Emitte lucem tuam, & veritatem  
tuam. [e]

Servus tuus sum ego: da mihi intel-  
lectum, ut sciam testimonia tua. [f]

Faciem tuam illumina super servum  
tuum; doce me justificationes tuas. [g]

Averte oculos meos ne videant va-  
nitatem.

Inclina cor meum in testimonia tua,  
& non in avaritiam. [h]

Narraverunt mihi iniqui fabulatio-  
nes: sed non ut lex tua. [i]

- (a) I. Reg. 3. (b) Ps. 93. (c) Ps. 24.  
(d) Ibid. (e) Ps. 42. (f) Ps. 118. (g) Ibid.  
(h) Ibid. (i) Ibid.

28 JACULATORIÆ.

Notam fac mihi , Domine , viam ,  
in qua ambulem : quia ad te levavi  
animam meam. (k)

Eripe me de luto, ut non infigar. [l]

Vanitatem , & verba mendacia lon-  
gè fac à me. (m)

Quid enim mihi est in cælo ? & à te  
quid volui super terram ? Deus cordis  
mei , & pars mea Deus in æternum. (n)

Et nunc quæ est expectatio mea ?  
Nonne Deus ? & substantia mea apud  
te est. (o)

O æterna Veritas , & vera Charitas,  
& chara æternitas ! Tu es Deus meus,  
tibi suspiro die ac nocte. (p)

O Veritas lumen cordis mei , non te-  
nebrae meæ loquantur mihi. (q)

Quis mihi dabit acquiescere in te ?  
Quis mihi dabit , ut venias in eorū  
meum , & inebries illud , ut obliviscar  
mala mea , & unum bonum meum  
amplectarte ? (r)

Dulcesce mihi dulcedo non fallax ,  
dulcedo felix & secura. (s)

Solus enim tu es jucunditas ; amari-

(k) Ps. 142. (l) Ps. 68. (m) Prov. 30. (n) Ps.  
72. (o) Ps. 38. (p) August. L. 7. conf. c. 10.  
(q) L. 12. conf. c. 10. (r) L. 1. conf. c. 5. (s) L.  
2. conf. c. 1.

tudine plenus est mundus. (t)

Fac me, dulcis Christe, bone Iesu,  
fac me, rogo, amore & desiderio tuo  
deponere onus carnalium desideriorum,  
& terrenarum concupiscentiarum. (u)

Domine, incurvatus sum, & non possum nisi deorsum aspicere: erige me,  
ut possim sursum intendere. (x)

Serò cognovi te, Veritas antiqua:  
serò te cognovi, Veritas æterna. (y)

Serò te amavi, pulchritudo tam antiqua & tam nova; serò te amavi. (z)

Da mihi te Deus meus, redde te mihi.  
En amo, & si parum est, amem te  
validius. (aa)

O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris, accende me. O lux, quæ semper luces, & nunquam offuscaris, illumina me. O utinam arderem ex te! (bb)

Mel meum, lumen meum, meumque desiderium Christus est. (cc)

O quando finis horum malorum?  
quando liberabor à misera servitute vitiorum? quando ero sine omni im-

### B iij

(t) in Ps. 85. (u) Manual. c. 5. (x) ib. c. 31.

(y) Soliloq. c. 33. (z) L. 10. Conf. c. 27.

(aa) L. 13. Conf. c. 8. (bb) Soliloq. c. 34.

(cc) Hieronym. ep. ad Nepotian.

30 JACULATORIÆ.

pedimento in vera libertate ? (dd)

Ego eram cœcus , & non cognovi,  
donec illuminasti me. Nunc igitur lux  
animæ meæ , Domine Deus meus , vita  
mea , per quam vivo , lumen oculo-  
rum meorum , per quod video : en il-  
luminasti me , & cognosco te. (ee)

Tu es solus Deus meus , Creator  
meus benignus , qui amas animas no-  
stras : & nihil odisti eorum , quæ fe-  
cisti. [ff]

Totus eram in morte , totum me  
resuscitasti. Tuum igitur sit totum id,  
quod vivo : & totus totum me tibi  
offerò. (ff)

En , ô Rex supreme , ac Domine  
universorum , tuâ ego , licet indignis-  
simus , fretus tamen gratia & ope , me  
tibi penitus offerò , meaque omnia tux  
subjicio voluntati. [gg]

(dd) Komp. de imit. L. 3. c. 48. (ee) August.  
Soliloq. c. 18. (ff) Ibid. (gg) Ignat. 1. Exer-  
cit. 2. hebdom.

CONSIDERATIO I.

VANA HOMINVM STVDIA.

I. **D**ominus de cœlo prospexit super filios hominum , ut videat si est intelligens. ( a ) Scit cogitationes hominum , quoniam vanæ sunt. ( b ) Sive ( ut legit S. Cyprianus ) ( c ) quia stultæ sunt. Neque verò paucorum sunt ejusmodi cogitationes. Stultorum infinitus est numerus. ( d ) Omnes declinaverunt , simul inutiles facti sunt. ( e ) Cor eorum vanum est. ( f ) Corrupti sunt , & abominabiles facti sunt in studijs suis. ( g ) Facti sunt abominabiles , sicut ea quæ dilexerunt. ( h ) Apprehenderunt mendacium. Cuncti faciunt mendacium. ( i ) Verè vani filij hominum , mendaces filij hominum in stateris. ( k ) Ambulaverunt post vanitatem , &

B iiiij

( a ) Ps. 13. ( b ) Ps. 91. ( c ) de bono patientie initio. ( d ) Eccle. 1. ( e ) Ps. 13. ( f ) Ps. 5  
 ( g ) Ps. 13. ( h ) Osee 9. ( i ) Ierem. 8. ( k ) Ps. 64

## 32 CONSIDERATIO I.

vani facti sunt ; (l) impingentes in viis suis , in semitis sæculi. (m) Et in vanitate malitiæ placuerunt. (n) Confidunt in nihilo , & loquuntur vanitates : telas araneæ texuerunt. Opera eorum , opera inutilia. Cogitationes eorum,cogitationes inutiles. Viam pacis nescierunt,& non est judicium in gressibus eorum. (o) Ventum seminabunt,& turbinem metent. (p) O egregia mortalium studia ! Num tu ex illis es ? Inspice te. Attende consilia tua. Scrutare vias tuas , & exitum time. Væ qui cogitatis inutilc. (q) Numquid super his non visitabo , dicit Dominus ? (r) Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum , ait Dominus. (s) Abscondam faciem meam ab eis , & considerabo novissima eorum. (t) Ego Dominus scrutans cor , & probans renes : qui do unicuique juxta viam suam , & juxta fructum ad inventionum suarum. (u) Comedent igitur fructus viæ suæ , suisq; consilijs saturabuntur. (x) At quales fructus ? utique amariſſimos.

(l) Ierem. 2. (m) Ierem. 18. (n) Ecli. 17. (o)  
Isai. 59. (p) Osee 8. (q) Mich. 2. (r) Ierem. 9.  
(s) Ierem. 23. (t) Deuter. 32. (u) Ierem. 17.  
(x) Prog. 1.

## VANA HOMINUM STUDIA. 33

& pessimos, similes pomis Sodome & Gomorrah vanis, inanibus, graveque olenibus; quia via eorum vana, & pessima consilia, quæ non potuerunt stabilire.  
(y) Et quid facient, cum inspicere cœperit Dominus? (z) Redite igitur prævaricatores ad cor. (aa) Usquequæ parvuli diligitis infantiam, (res infantiles, parvas, nugatorias, quales sunt res mundane) & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient? (bb) Ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium? (cc) Ponite corda vestra super vias vestras. Semina nisi multum, & intalisti parum. Et qui mercedes congregavit, misit eas in laculum pertusum. (dd) Videte itaque Fratres, quomodo cautè ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. (ee) Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote: sensibus autem perfecti estote. (ff) Dirigite vias vestras, & studia vestra. (gg) Et ambulate per vias prudentiæ. (hh) Faci-

(y) Ps. 20. (z) Eccli. 2. (aa) Isai. 46. (bb) Prov. 1. (cc) Ps. 4. (dd) Aggei 1. (ee) Ephes. 5. (ff) Cor. 14. (gg) Ierem. 18. (hh) Prov. 9.

## 34 CONSIDERATIO I.

te cor novum, & spiritum novum. (ii)

II. Vana & stolida mortalium studia, descripta passim habes apud sacros scriptores. Lege, si placet, s. Chrysostomum, (a) qui altius, ut cœcis quidem nobis videntur, hominum consilia & negotia, puerilibus lusibus, & crepundijs graphicè comparat. Quo enim distamus à pueris iudendi gratiâ casulas ædificantibus, nos qui ampla prætoria & clara construimus? Quæ autem dissimilitudo est inter eorum prandiola ad ludum parata, & nostra hæc splendide ac delicate apparata convivia? Nulla planè, nisi quòd ea nos ad supplicium nostrum sæpè faciamus, quæ illi imitantur ad ludum. Quòd si necdum perspicimus eorum quæ agimus, vilitatem, non est profectò mirandum. Non dum enim venimus ad maturitatem virorum; quòd cum venerimus, intelligemus hæc omnia esse puerilia.... Verùm ut nos pedibus ludicra illa ædificiola plerumque destruimus: ita hæc sapienti ille (Deus) mente subvertit; & sicut nos parvulos de illa flentes destructione ridemus, sic illi

(ii] Ezech. 28.

(a) hom. 24. in Matth.

quoque viri (cœlestes cives) nobis de  
hac subversione mœrentibus, non  
modò rident, sed etiam flent. Jam  
igitur in viros transeamus aliquando.  
Quamdiu terræ prorsus affligimur, de  
lignis ac lapidibus gloriantes? Quouf-  
que lusibus occupamur, ac salutem  
nostram ipsi despicimus, ac prodimus?  
Nam ut pueri cùm neglectis litteris,  
ad hujusmodi nugas sua studia con-  
verterint, durissimis verberibus subja-  
cebunt: sic nos quoque qui in hi  
rebus studium omne consumimus, cùm  
à nobis spiritualium exigetur operum  
disciplina, nisi quæ reddenda erunt,  
habuerimus parata, horrenda illa sup-  
plicia perferemus. Eandem hominum v-a-  
nitatem depingit alibi (b) idem aurēus scri-  
ptor: Velut enim pueri, ea quæ majores  
magni faciunt, facile negligunt; si in au-  
tem calathulum, aut fistra abstuleris,  
aut aliquid aliud ludicum, indignan-  
tur, & ægrè ferunt, & se dilacerant,  
& solum pulsant: ita illi res hujus s-e-  
culi, quas aeternarum & verarum respectu,  
ut idem (c) ait, nihil esse invenies, nisi  
parvolorum ludibria puerorum, aut

(b) hom. 4. in I. Cor. (c) hom. 55 ad pop.

36 CONSIDERATIO I.

quasi formicarum & culicum opera;  
&, ut ait Augustinus, (d) nugas nuga-  
rum, & vanitates vanitatum, summo  
studio conquerunt & coacervant, aeterno-  
rum verorumque bonorum negligentes. Me-  
ritò igitur, ait Lactantius Firmianus,  
(e) etiam senum stultitiam Seneca ridet.  
Non, inquit, bis pueri sumus (ut  
vulgò dicitur) sed semper. Verum  
hoc interest, quod majora nos lu-  
dimus. Quamquam non est (ut iterum  
cum Chrysostomo loquar) lusus hæc vita;  
imò est quidam præsens vita lusus,  
sed non est lusus etiam futura. Nunc  
autem non tam lusus est vita nostra,  
quam aliquid fortè deterius. Non  
enim tendit ad risum, sed intolerabi-  
lem quoque portabit dolorem eis, qui  
mores suos non maturè ac diligenter  
instituunt. (f) Quamdiu igitur (qua-  
rit & queritur S. Nilus Abbas.) (g) ludis  
puerilibus delectabimur? Nondum vi-  
rilem sensum accepimus? Quamdiu  
in agendo erimus infantibus imbecil-  
liores? Ab illis saltem discamus ad  
præstantiora contendere. Nucibus ex-

(d) Lib. 8. Confess. c. 11. (e) Institut. divin. L.  
2. c. 4. (f) Chrysost. hom. 24. in Matth. (g) Lib.  
Ascetico tom. 5. biblioth. PP.

VANA HOMINUM STUDIA. 37

empli gratiâ , & talis , & pilâ ludunt, his illi se ludis oblectant, & fibi honori ducunt hæc comparare, quoad prudentiâ sunt imperfectâ. At cùm aliquis eorum in virum evaserit, ea abjicit, & ad gerendam rempublicam omne studium confert. Nos autem in infantia persistentes, ludicra & risu digna suspicimus , neglectisque melioribus, prudentiam viris convenientem sumere recusamus , & terrenis in rebus studium ac delectationem nostram collocantes, risum movemus iis, qui naturâ duce rectè judicant. *Hac ille, & que sequuntur lectu dignissima.* O quis dabit decrepito puero, & tamen stulto, id est, humano generi toti orbi diffuso, quādam magnam, quandam sapientissimam nutricem , quæ tali cura ac sollicitudine subtrahat ei, vel revocet eum a gaudiis, quæ futurorum semina sunt dolorum ? Exclamat ( b ) Guigo quintus Prior Carthusia , S. Bernardo amicus , vir doctrinâ & vita integritate conspicuus. Imò verò magnam illam ac sapientissimam nutricem , ipsam , inquam ,

(b) Meditat. cap. 4. fine.

## 38 CONSIDERATIO I.

Sapientiam , Filium suum misit Deus in mundum, (i) Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos: ut abnegantes impietatem , & sacerdotalia desideria, sobrietate, & justè, & piè vivamus in hoc saeculo. (k) Ergo succurre mihi æterna Veritas, ut nulla me moveat Vanitas. (l) Dirige me in veritate tua, & doce me. (m) Perfice gressus meos in semitis tuis , ut non moveantur vestigia mea. (n)

III. Rides, Christiane Lector, inania quorundam Imperatorum ac Regum & plusquam puerilia studia: ut Domitiani , muscis acuto stylo configendis ; Hartabi Hyrcanorum Regis , caprandis talpis ; Biantis Lydorum , ranis filo studiosè colligandis , intentorum : Æropi Macedonum , conficiendis laternis ; Parthorum Regum , acuendis telorum cuspидibus ; Persarum , corticibus arborum seu philyris cultello scindendis ; Sardanapali Assyriorum , inter scortorum greges ducenda colo ; Heliogabali , colligendis mille mustelis , totidem soricibus , decem millibus murium , decem millibus pondo aranearum , & mus-

(i) Ioan. 10. (k) Tit. 2. (l) Th. a Kemp. de Imit. Lib. 3. cap. 48. (m) Ps. 24. (n) Pf. 16.

VANA HOMINUM STUDIA. 39

carum. Rides, inquam, hac, & veluti vanissima ac hominibus ratione præditis indigna proorsus censes. At vide, quæso, num risu, imo (ut Christianos miserari addecet) fletu largiore prosequenda sint vaniora illa & nociva magis ac perversa, quæ pañim oculis auribusve usurpas aut sacris codicibus expressa, aut quotidianâ experientiâ sefè ultrò ingerentia, mortaliū ad Dei imaginem conditorum studia. Veb inde ab ipso mundi exordio vanus effectus est, quem fecerat Deus hominem rectum: (a) pomum donis bonisque, quibus affluebat, prætulit, seque ac totam deinceps progeniem labori, dolori, mortique mancipavit. (b) Hinc, pro dolor! quanta in filijs Adam vanitas? Quanta iniquitas? Tanta utique, ut videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituerit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem quem creavi, à facie terræ. (c) Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram. Et delevit omnem substan-

(a) Eccle. 7. (b) Genes. 3. (c) Genes. 6.

4<sup>o</sup> CONSIDERATIO I.

tiam , quæ erat super terram , ab ho-  
mīne usque ad pecus . (d) Quid post ca-  
taclysmum illum ? Iterum consilia vana ,  
iterum perversa studia . Venite , inquiunt  
filij Adam . Faciamus nobis civita-  
tem & turrim , cujus culmen pertin-  
gat ad cœlum : & celebremus nomen  
nostrum , antequām dividamur in uni-  
versas terras . Descendit autem Do-  
minus , & confudit ibi linguam eo-  
rum . (e) Esau pro pulmento & coctio-  
ne rufâ vendidit Fratri Jacob primogenita  
sua . Et sic accepto pane & lentis e-  
dulio , comedit , & bibit , & abiit ;  
parvipendens quòd primogenita ven-  
didisset . (f) Filios Israël durissimâ Ægy-  
ptiorum servitute ac laboribus oppressos edu-  
xit miseratus Deus in fortitudine ma-  
gnâ , & in brachio extento , (g) pa-  
ne cœli saturavit , (h) in terram fluen-  
tem lacte & melle (i) introducturus . At  
illi respicientes in vanitates , & insanias  
falsas , (k) citò fecerunt , obliți sunt  
operum ejus . (l) In mentem , inquiunt ,  
nobis veniunt cucumeres , & pepones ,

(d) Genes. 7. (e) Genes. 11. (f) Genes. 25. (g)  
4. Reg. 17. (h) Ps. 104. (i) Exod. 13. (k) Ps.  
39. (l) Ps. 105.

VANA HOMINUM STUDIA. 41

porriqué, & cepe, & allia. (m) Nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Anima nostra jam nauseat super ci- bo isto levissimo. (n) Et fecerunt vi- tulum in Horeb: & adoraverunt scul- ptile: & mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœ- num. (o) Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Et irritaverunt Deum in adinventionibus suis. (p) Quid ad tam vana & vesana consilia stupentis tibi est & indignantis animi, Christiane? Quid ad ejusmodi innumera alia, quibus codices pleni sunt, graves dies, hora, momenta, scatet universus orbis? Hunc si non modò mente lustrare, sed etiam ipsis oculis in- tueri posses in illâ sublimi speculâ ( de quâ S. Cyprianus ad Donatum (q) consti- tutus, quam informis in formis innume- ris rerum facies, quanta inanitas, quam portentosa vanitatum vanitas, & af- flictio spiritus, (r) sese tibi oggererent, mentemque præ stupore eriperent? Atqui inter illa, quæ tua tandem spectares stu- dia? quæ in posterum consilia suscipes? quorsum diriges negotia? Vanitatem, quam

(m) Num. 13. (n) Ibid. (o) Ps. 105. (p) Ibid.  
(q) Lib. 2. ep. 2. (r) Eccles. 1.

## 42 CONSIDERATIO I.

agnoscis, detestare, Salomone sapientior,  
 cuius vana imò vanissima fuisse studia nec  
 ipse diffitetur, adeò ut verè de se dixerit,  
 stultissimus sum virorum, (f) atque  
 utinam nec eternum lugeat cum insensatis  
 illis, quos vanitatem suam & insaniam  
 frustrà, quia serò nimis, detestantes &  
 luentes describit Sap. cap. 5. Certe de eo  
 sic sacer textus: Cumque jam esset se-  
 nex, depravatum est cor ejus per  
 mulieres, ut sequeretur Deos alienos;  
 nec erat cor ejus perfectum cum Do-  
 mino Deo suo. (t) Quare Salianus nou-  
 ster illius Epitaphium his verbis meritò  
 inchoat: Jacet in hoc non magno saxo  
 magnus ille Salomon, Rex Hebræo-  
 rum clarissimus, magni Davidis filius,  
 cui nullum in regibus parem sol vidit  
 in terris; sive sapientiam, gloriam,  
 magnificentiam; sive stoliditatem, de-  
 decus, turpitudinem contempleris. (u)  
 Tu, inquam, mi Chrītiane, dum tempus  
 est, ad mentem redi cum Salomonis pa-  
 rente, & ex eodem (x) cum Augustino  
 clama ad Dominum: Viam iniquitatis  
 amove à me, & fac propitius viam

(f) Prov. 30. (t) 3. Reg. 11. (u) Salian. 10. 3.  
 an. mundi 3059. (x) Ps. 118.

VANA HOMINUM STUDIA. 43

veritatis eligere: (y) Miser ego, cor  
meum quod tibi soli debui toto amo-  
re, totoque affectu impendere, vanis  
dedi: & ideò vanus effectus sum,  
dum vanitatem dilexi. (z)

(y) August. meditat. cap. 6. (z) Soliloq. c. 1.



## CONSIDERATIO II.

### VERA SAPIENTIA.

I. **B**eatus vir, qui invenit sapien-  
tiam, & qui affluit pruden-  
tiā. Melior est acquisitio ejus nego-  
tiatione argenti, & auri primi & pu-  
rissimi fructus ejus. Pretiosior est cun-  
ctis opibus: & omnia, quæ deside-  
rantur, huic non valent comparari.  
Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes se-  
mitæ illius pacificæ. (a) Disce ergo  
ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi  
sit intellectus; ut scias simul ubi sit  
longiturnitas vitæ & victus, ubi sit  
lumen oculorum & pax. (b) Si enim,  
Fili mi, sapientiam invocaveris, &

(a) Prov. 3. (b) Baruch. 1.

## 44      CONSIDERATIO II.

inclinaveris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam quasi pecuniam, & si-  
cut thesauros effoderis illam: tunc  
intelliges timorem Domini, & scien-  
tiam Dei invenies: quia Dominus dat  
sapientiam, & ex ore ejus pruden-  
tia, & scientia. Tunc intelliges ju-  
stitiam, & judicium, & æquitatem,  
& omnem semitam bonam. (c) Tunc  
ambulabis fiducialiter in via tua, &  
pes tuus non impinget. Dominus e-  
nîm erit in latere tuo, & custodiet  
pedem tuum, ne capiaris. (d) Sapien-  
tia verò ubi invenitur? & quis est  
locus intelligentiæ? Nescit homo pre-  
tium ejus, nec invenitur in terrâ sua-  
viter viventium. Deus intelligit viam  
ejus, & ipse novit locum ejus. Et  
Dixit homini: Ecce timor Domini,  
ipsa est sapientia, & recedere à ma-  
lo, intelligentia. (e) Initium sapien-  
tiæ, timor Domini. Radix sapientiæ  
est timere Deum: & rami illius lon-  
gævi. (f) Imò corona sapientiæ, ti-  
mor Domini. Plenitudo sapientiæ est  
timere Deum. (g) Consummatio ti-

(c) Prov. 2. (d) Prov. 3. (e) Iob. 28. (f) Eccli. 1.  
(g) Ibid.

VERA SAPIENTIA. 45

moris Dei , sapientia & sensus. (b) Omnis sapientia , timor Dei. (i) Hæc est Sapientia Sanctorum : Timete Dominum omnes Sancti ejus. (k) Hanc servos suos , filios suos docet Deus scientiarum Dominus , (l) qui docet hominem scientiam , (m) & dat sapientiam sapientibus : (n) Venite , inquit , filij : timorem Domini docebo vos. (o) Intellectus bonus omnibus scientibus eum. (p) Nempe vera sapientia practica est , docetque hominem servire Deo in intellectibus manuum suarum. (q) Sapiens cor & intelligibile (id est , intelligens ) abstinebit se à peccatis , & in operibus justitiae successus habebit. (r) Hunc intellectum sibi à Deo postulabat sapientissimus David , cùm psallebat : Da mihi intellectum , & scrutabor legem tuam : & custodiam illam in toto corde meo. Confige timore tuo carnes meas : à judicijs enim tuis timui. Faciem tuam illumina super servum tuum ; & doce me justificationes tuas. (f) Vis autem nosse quantum in sapientia profecerit ? Eundem eodem

(h) Eccli. 21. (i) Eccli. 19. (k) Ps. 33. (l) 1. Reg. 2. (m) Ps. 93. (n) Daniel. 2. (o) Ps. 33. (p) Ps. 119. (q) Ps. 77. (r) Eccli. 3. (l) Ps. 118:

## 46 CONSIDERATIO II.

*Psalmo canentem audi. Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi: quia mandata tua quæsivi. Amas & tu hanc sapientiam? Deum time, & mandata ejus custodi: hoc est enim omnis homo (t) Chaldaeus: quoniam sic debet esse via omnium hominum. S. Hieronymus: Ad hoc natus est homo. Olympiod. Hic est sapiens, integer, perfectus homo. Quas, & similes alias versiones & explicationes, videre cum fructu potes apud nostros Pinedam & Cornelium à Lapide in illum locum. Quare sapientissime Bernardus concludit: Ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo. (u) Istam ambis sapientiam? Postula à Deo. Siquis vestrūm indiget sapientiā, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. (x) Domine misericordiae, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit & mecum labo. (tq) Eccle. 12. (u) Serm. 20. in Cant. (x) Jacob. 1.*

## VERA SAPIENTIA. 47

rat, ut sciam quid acceptum sit apud te. (y) Timeam te, amem te Domine Deus meus! Timor enim Domini disciplina sapientiae. (z) Et dilectio Domini, honorabilis sapientia. (aa) Huic cœlesti stude sapientiae fili mi. (bb)

II. Ab his quæ turpiter amantur, non ab ipso amore, prohibemur. Amare vultis? Amate sapientiam, ambite ut perveniatis ad eam. (a) Hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipsam sitiamus, ut ad ipsam, duce ipsâ, aliquando veniamus; & in illâ ita vivamus; ut numquam moriamur. (b) Hic autem est velut primus gradus ad salutem & veram sapientiam; despiciere terrena omnia, ut cœlestia consequamur; sponte relinquere, quæ diu retineri non possunt; mortalia cuncta fugere, ut æternis non indigni omnino esse judicemur. Ita Sapien-  
tissime Philo Græcus Carpathiorum Episcopus. (c) Quâ in re itidem suæ sapientiae summam

(y) Sap. 9. (z) Prov. 15. (aa) Eccli 1. (bb)  
Prov. 27.

(a) S. August. Serm. 246. de Temp. (b) Idem, tr.  
34. in Ioan. (c) in 8 Cant. Cantic.

## 48      CONSIDERATIO II.

collocabat Sapientissimus Doctor Augustinus, cùm diceret: Nihil aliud scio, nisi fluxa & caduca, spernenda esse; certa, & æterna, requirenda. (d) S. Ambroſus sapientis est, segregare se à voluptatibus carnis, elevare animam, atque à corpore abducere: hoc enim est se hominem cognoscere. (e) S. verò Bernardo Sapientia est per quam utique quæque res sapiunt prout sunt. (f) Et iterum: Vera illa & indubitata sapientia est, quæ turpia lucra contemnit, & indignum sibi judicat eodem cum idolorum servitute (avaritia) contubernio frui. (g) Guigoni autem, Rationalis creaturæ vera perfectio est, unamquamque rem tanti habere (senſu ſcilicet atque affectu) quanti habenda est. (h) Quibus sapienter conſonat Theodidactus ille Thomas: Cui sapiunt, inquit omnia prout sunt, non ut dicuntur aut æstimantur; hic verè sapiens est & doctus magis à Deo quam ab hominibus. (i) Et alibi: Ista est summa Sapientia, per contemptum mundi tendet

(d) L. 1. Soliloq. c. 1. [e] L. de Isaac & anima c. 1. [f] Serm. 50 in Cant. [g] Bernard. epist. 24 ad Gilbertum. [h] Meditat. c. 19. [i] de imitat. Ch. L. 2. c. 1.

tendere ad regna cœlestia. (k) Nempe nobis mens & intelligentia data non est, quâ solūm possimus ( ut loquitur S. Ambrosius ) (l) quod ante pedes est ( hoc est , infima hæc , terrena , caduca ) videre ; sed etiam coeli ipsius secreta , profundo obtutu sapientiæ spectare. Et , ut idem alibi loquitur , ille verè sapit , cujus animus in Christo est , & cujus interior oculus erigitur ad superna. (m) Denique , Quid est , quæso , Sapientia Christiani , nisi timor & amor Christi ? Itaque demum verè sapientes sumus , si Deum semper ac super omnia diligamus. (n) Vnde & illud Beati illius ac divinitùs illustrati Fratris Ægidij Assisiatis , (o) Cur vis ire ad scholas ? Summa totius Sapientiæ est timere & amare : Hæc duo sufficiunt tibi. Ista est , ex Iustino , (p) alijsque Sanctis Patribus , Philosophia , quam omnes assequi debent , futuri tum demum Philosophi Dei , ut eos vocat S. Macarius : (q) Si enim Sapientia Deus

## C

(k) L. 1. c. 1. (l) Lib. de Noe &amp; Arca c. 7.

(m) Lib. 7. in Luc. c. 10. (n) Salvian. contra uaritiam lib. 4. c. 2. (o) In sentent. c. 12. (p)

Dialog. cum Tryphone. (q) Homil. 17.

## 50 CONSIDERATIO II.

est, verus Philosophus est amator Dei,  
ut sapientissime concludit Augustinus. (r)  
**Cui consonat Prosper eleganti hoc pronun-**  
**tatio. (s)** Sapientis ergo est hoc ap-  
petere, quod bonum facit; & non  
id amare, quod decipit. Denique  
Thomas: (t) Prudentia, inquit, om-  
nia mundana divinorum contempla-  
tione despicit, omnemque animæ co-  
gitationem in divina sola dirigit.

**III.** Apparuit Dominus Salomon  
per somnium nocte, dicens: Postula  
quod vis, ut dem tibi. *Quid autem*  
*Salomon? Vnam petiit Sapientiam.* Da  
bis servo tuo cor docile, &c. Placuit ser-  
mo coram Domino, quod Salomon po-  
stulasset hujuscemodi rem. Et dixi  
Dominus Salomoni: Quia postulasti  
verbum hoc, & non petisti tibi die  
multos, nec divitias, aut animas in-  
micorum tuorum, sed postulasti Sa-  
pientiam ad discernendum judicium:  
ecce feci tibi secundum sermones tuos,  
& dedi tibi cor sapiens & intelligens,  
in tantum ut nullus ante te similis  
tui fuerit, nec post te surrecturus sit.

(r) L. 8. de Civit. cap. I. (s) Lib. sentent. n.  
130. (t) I. 2. q. 61. a. 5.

## VERA SAPIENTIA. § 2

Sed & hæc quæ non postulasti, dedi  
tibi: divitias scilicet, & gloriam, ut  
nemo fuerit similis tui in regibus cun-  
ctis retrò diebus. (a) *Et Salomon ipse*  
*sic de se:* Optavi, & datus est mihi  
sensus: & invocavi, & venit in me  
spiritus Sapientiæ: & præposui illam  
regnis & sedibus, & divitias nihil esse  
duxi in comparatione illius, &c. Ve-  
nerunt autem mihi omnia bona pa-  
riter cum illâ, & innumerabilis ho-  
nestas per manus illius, & lætatus  
sum in omnibus: quoniam antecedebat  
me ista Sapientia. (b) *Alphonsus Arra-  
gonum Rex pretium hujus Sapientiæ ne-*  
*quaquam ignorabat, dum rogatus qui fieri*  
*posset, ut tantæ potentiæ tantarumque o-*  
*pum Rex ad paupertatem deveniret? Sa-*  
*pienter respondit: si venderetur Sapien-*  
*tia: illam enim omnibus opibus præ-*  
*ferrem & emerem.* (c) *Atqui comparare*  
*illam tibi potes, mi Christiane, non auro,*  
*non argento, sed mundanarum rerum con-*  
*temptu, puritate animi, ac piâ Deo pla-*  
*cendi voluntate.* Facile videtur ab his  
qui diligunt eam, & invenitur ab

C ij

(a) 3. Reg. 3. (b) Sap. 7. (c) Panorm. l. 3. de  
gestis Alphonsi. vid. à Lapide in Baruch. 3. v. 14.

## 52 CONSIDERATIO II.

his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. (d) Ita sese ostendit & communicavit S. Gregorio Nazianzeno cùm Philosophiæ studijs apud Athenas floreret, comitata castitate, cuius utriusque amplexum & consortium meruit Gregorius ob insignem cordis munditiem. (e) Eadem sese stitit, pacis amorisque osculo præsentiam suam & amicitiam testata, B. Laurentio Iustiniano adhuc adolescenti, ut ipse met etiam scripto reliquit. (f) Hæc namque propius accedens venusto vultu, placidoque affatu, inquit, O Juvenis in me diligende, cur effundis cor tuum, pacemque sectando variaris per multa? Quod quæris, in me est; quod concupiscis, tibi polliceor, spondeo que, si tamen me in sponsam haberem volueris. Cui cum ingenti gaudium præbuisset assensum, dato pacis osculo læta discessit. Eadem sapientia B. Henrico Susoni ex ordine S. Dominici illius æstuanti desiderio sese exhibuit, Præbe, inquiens, fili, cor tuum mihi (g) quo per summam demissionem & an-

(d) Sap. 6. (e) Rufin. Prolog. in lib. S. Greg. Naz. (f) Fascic. amoris cap. 16. (g) Prov. 23.

## VERA SAPIENTIA. 53

mi ardorem illius amori consecrato , sponsum suum ingenti l<sup>a</sup>titiâ totam vitam replevit , nihil nisi sapientiæ dotes deprædicantem. (h) Eandem si tibi farentem , si præsentem , imò si ( ut ejus sunt delitiæ esse cum filijs hominum ) (i) sponsam concupisces , castum cor , & purum à terrenis præbe . Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia , nec habitabit in corpore subdito peccatis . (k) Homines stulti non apprehendent illam , & homines sensati obviabunt illi : homines stulti non videbunt eam : longè enim abest à superbia & dolo . Viri mendaces non erunt illius memores : & viri veraces invenientur in illa , & successum habebunt usque ad inspectionem Dei . (l) Impuris non se ostendit Veritas , non se credit Sapientia . Superbo oculo Veritas non videtur ; sincero patet . (m) Utinam ex vero dicere possis cum sapientiæ illo alumno & sponso Laurentio Iustiniano ; O Verbum Patris ! ô salus vitæ meæ ! scis quòd nihil præter te satiare me potest . Omnia desipiunt mihi præter

### C iij

(h) Vitæ Sufonis c. 4. (i) Prov. 8. (k) Sap. 1.  
(l) Eccl. 15. (m) Bernard. in Cant. Serm. 62.

### 54 CONSIDERATIO III.

te , in quo posui desiderium , & amo-  
rem meum. (n) Et cum magno illo Theo-  
logo Gregorio Nazianzeno ; Unam hanc  
sapientiam scio , quæ in timore Dei  
sita est. (o)

(n) *De incendio div. amor. c. 11.* (o) *Orat. 28.*

## CONSIDERATIO III.

### STVLT A SAPIENTIA.

I. **S**Apientia hujus mundi , stulti-  
tia est apud Deum. (a) Qua-  
yerba expendens S. Augustinus ait : Si sa-  
pientia hujus mundi , stultitia est apud  
Deum ; stultitia mundi hujus quām  
longè est à Deo ? (b) Sapientum autem  
hujus mundi seu stultorum infinitus est  
numerus : (c) Tantus nempe est nu-  
merus ( exclamat S. Hieronymus ) (d) se-  
ductorum , & eorum , qui de gregē  
Domini rapti sunt , ut supputatione  
non queat comprehendendi. *Et Deus ipse*  
*fluxam illam evanidamque mundi sa-*  
*pientiam ( ita eam vocat S. Gregor. Na-*

(a) *1. Cor. 3.* (b) *Serm. 139. de Temp.* (c) *Eccle-*  
*1.* (d) *In loc. cit. Ecclc.*

## STULTA SAPIENTIA. 55

zianzenus ) (e) acriter queritur Prophetæ  
sui verbis : Stultus populus meus me non  
cognovit : filij insipientes sunt, & ve-  
cordes : sapientes sunt, ut faciant ma-  
la, benè autem facere nescierunt. (f)  
Et iterum. Milvus in cœlo cognovit  
tempus suum ; turtur, & hirundo, &  
ciconia custodierunt tempus adventus  
sui. Populus autem meus non cogno-  
vit judicium Domini. Quomodo di-  
citis : sapientes sumus, & lex Domi-  
ni nobiscum est ? Verè mendacium  
operatus est stylus scribarum. Con-  
fusi sunt sapientes, perterriti & capti  
sunt. Verbum enim Domini proje-  
cerunt, & sapientia nulla est in eis.  
(g) Quocirca scriptum est : perdam sa-  
pientiam sapientium, & prudentiam  
prudentium reprobabo. Ubi sapiens ?  
ubi scriba ? ubi conqueritor hujus sæ-  
culi ? Nonne stultam fecit ( ostendit )  
Deus sapientiam hujus mundi ? (h)  
Verè Gens absque consilio est, & sine  
prudentiâ. (i) Vis autem specialius nosse  
mundanorum stultitiam ? Audi ex ipsorum  
ore stupendam stoliditatem. Dixerunt e-

C iiiij

(e) Orat. in plag. grandin. [f] Ierem. 4. (g) Ie-  
rem. 8. (h) 1. Cor. 1. (i) Deuter. 32.

## 56 CONSIDERATIO III.

nim cogitantes apud se non rectè: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ,.... Umbræ transitus est tempus nostrum. *Quid inde concludunt sapientes illi? quo nihil insipientius dicitur possit.* Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturæ tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra....

(k) *Quam insignem stultitiam suo calculi*  
*damnat æterna Sapientia: Hæc cogitaverunt,*  
*& erraverunt: excœcavit enim*  
*illos malitia eorum. Et nescierunt*  
*sacramenta Dei, neque mercedem*  
*speraverunt justitiæ, nec judicaverunt*  
*honorem animarum sanctorum.* (l) *Sed*  
*& ipsimet impij stultam suam ratiocina-*  
*zionem vel ex ipsis inferis agnoscunt, fru-*  
*straque, quia serius, deflebunt: Nos in-*  
*sensati.... Erravimus à via veritatis,*  
*& quæ sequuntur. (m) Intelligite insi-*  
*pientes, & stulti aliquando sapite. (n)*  
*Convertimini de vijs yestrīs malis, &*

(k) *Sap.* 2. (l) *Ibid.* (m) *Sap.* 5. (n) *Pſ.* 93:

## STULTA SAPIENTIA. 57

de cogitationibus vestris pessimis. (o) Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cœcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in J e s u. (p) Nolite gloriarri, & mendaces esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. (q) Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ, & fructibus bonis, non judicâns, sine simulatione. (r) Hanc super salutem & speciem dilige, & propone pro luce habere. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum

Cv

(o) Zachar. 1. (p) Ephes. 4. (q) Iacob. 3. (r) Ibid.

### 58 CONSIDERATIO III.

Sapientia inhabitat. (f) Quam ut facilius tibi alijsque impetres, Virgini prudenterissimæ, Sedi Sapientiæ, (t) Deipara crebrò supplica, cum castissimis & sapientissimis Alberto Magno, Thoma Aquinate, Bernardino Senensi, & aliis.

II. Sapientia mundi vanitas est, & stultitia reputatur apud Deum: decipit suos amatores, & in fine torquet ovan tes. (a) Quare qui secundum sæculum sapiens est, secundum Deum stultus est. Unde & Propheta, (b) Stultus, inquit, factus est omnis homo à scientiâ. (c) Quo pacto? Quasi vulpes vident vana, & divinant mendacium; (d) observantes vanitates supervacuè. (e) Quocirca merito, ex S. Basilio, Noctuæ persimiles homines ii sunt, qui evanidæ & inanis sapientiæ studio incubuere. Nam ut illius aspectus noctu quidem valet, sole autem illucescente non mediocriter offuscatur & hebescit: sic & istorum hominum mens acutissima quidem ad vanas res prospiciendas esse videtur; hebetissima vero caligineque referta ad

(f) Sap. 7. (t) Litan. Lauret.

(a) Th. à Kemp. Hortulo rosarum c. 3. (b) Ierem. 10. (c) S. Isidor. Hispal. sentent. l. 2. c. 12  
[d] Ezech. 13. (e) Ps. 30.

## STULTA SAPIENTIA. 59

ipsam lucem veram percipiendam eva-  
sit. (f) *Quam sapientum hujus mundi  
vanitatem & fatuitatem confirmat S. Remi-  
gius: Philosophi, inquit, definierunt  
prudentiam esse bona temporalia ap-  
petere, & mala temporalia cavere.*  
*Quæ prudentia, quia carnalis est, id-  
circo generat mortem æternam: quo-  
niam dum bona præsentis vitæ omni  
aviditate desiderantur, & adversa pro  
Christi nomine vitantur, bona æternæ  
vitæ pro nihilo habentur. (g) Et sa-  
pientissimus Augustinus: Animus nullo  
modo sanus existimandus est, qui non  
temporalibus æterna præponit: neque  
in tempore utiliter vivitur, nisi ad com-  
parandum meritum, quo in æternita-  
te vivatur. Ad illam ergo vitam, quâ  
cum Deo & de Deo vivitur, cetera  
quæ utiliter & decenter optantur, sine  
dubio referenda sunt. (h) *Atqui sa-  
pientum hujus faculi quis animus, quæ vita  
ratio, quæ studiorum & negotiorum intentio?*  
*Terrena sapiunt: (i) Oculos suos statue-  
runt declinare in terram. : (k) Magis  
stomachantur, si villam malam habe-**

(f) *Basil. hom. 8. in hexam. (g) Remig. in cap.  
8. ad Rom. (h) August. ad probam. ep. 12 l. 6. 7.*  
(i) *Philipp. 3. (k) Ps. 16.*

## 60 CONSIDERATIO III.

ant, quam si vitam. (i) Et hos ostendit Dominus fatuos esse judicandos, qui temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari ab hominibus possunt, nec auferri. (m) Luctuenter etiam exponit stultam mundi sapientiam magnus ille Gregorius: (n) Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere; sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare.... Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adeptâ temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cùm vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cùm virtutis possiblitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacificâ bonitate simulare. Enigmam mundi sapientiam! que tamen usu à juvenibus scitur, à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis mirantur. Hanc tu, mi Christiane, si didiceris, dedisce

(i) S. August. l. 3. de Civit. c. 1. (m) Idem l. 1. de serm. dom. c. 6. (n) L. 10. mor. c. 16.

STULTA SAPIENTIA. 61

hoc è vestigio ; quoniam sapientia carnis  
inimica est Deo : (o) converte te ad sa-  
pientiam sanctorum. Sapientia autem jus-  
torum est , nil per ostensionem fin-  
gere ; sensum verbis aperire ; vera , ut  
sunt , diligere ; falsa devitare....., nul-  
las injuriis contumelias reddere ; pro-  
maledicentibus orare ; paupertatem  
quærere ; possessa relinquere ; rapienti  
non resistere ; percutienti alteram ma-  
xillam præbere. Sed hæc justorum  
simplicitas deridetur : quia ab hujus  
mundi sapientibus puritatis virtus fa-  
tuitas creditur. (p) Itāne verò sapit  
mundus ? ut quod Veritas laudat , derideat ;  
approbet autem , quod aeterna reprobat Sa-  
pientia ? Nempe , ut inquit devotus Isaac ,  
(q) sæculi hujus falsa sapientia , &  
vera stultitia , non intelligens de qui-  
bus loquitur , neque de quibus affir-  
mat , sententiam ponit. Beatos dicit  
filios , quorum dextera , dextera ini-  
quitatis , & os loquens vanitatem ,  
propter promptuaria plena , & cetera  
quæ sequuntur , quæ ad incertum per-  
tinent pacis , & non pacis , & ineptæ

(o) Rom. 8. (p) Gregor. suprā. (q) Apud Pa-  
niemberg. hom. caten. 2. S. 3.

## 62 CONSIDERATIO III.

lætitiæ. Contra quam Sapientia Patris , Dei Filius proprius , dextera Patris , os loquens veritatem , pronuntiat , beatos fore pauperes spiritu , reges regni æterni. Ac si dicat : Erratis , corrigendi estis ; beatitudinem quæritis , sed non est ubi quæritis , & est ubi non quæritis ; curritis , sed extra viam .

III. Attende , quò sapientes hujus mundi sua deducit prudentia. Ubi sunt Principes Gentium , & qui dominantur super bestias , quæ sunt super terram ? qui in avibus cœli ludunt , qui argentum thesaurizant , & aurum , in quo confidunt homines , & non est finis acquisitionis eorum ? qui argentum fabricant , & solliciti sunt ; nec est inventio operum illorum ? exterminati sunt , & ad inferos descendedunt. Vbi filij Agar , qui exquirunt prudentiam , quæ de terra est , viam autem sapientiæ nescierunt ? Interierunt propter suam insipientiam. ( a ) Evanuerunt in cogitationibus suis , & obscuratum est insipiens cor eorum ; dicentes enim se esse sapientes , stulti

( a ) Baruch 3.

## STULTA SAPIENTIA. 63

facti sunt. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, &c. (b) *Quamobrem merito minatur Isaias,* (c) *Vx qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* *Qui autem illi?* *Mundani utique homines,* qui sibi quidem soli sapere videntur, in oculis autem Dei insipientes sunt. Oculi sapientis in capite ejus, ait *sapiensissimus Ecclesiastes,* (d) *stultus in tenebris ambulat.* *Quæ verba pulchrè expendens s. Basilius:* (e) *Cujusnam, inquit,* oculi non sunt in capite? Atqui hic, in capite, hoc est, ut ea contemplentur, quæ in sublimi sunt. Nam qui non ad bona, quæ in sublimi sunt; sed, quæ in terra, respectat; is utique desigit detrahitve oculos in terram. *Eadem ferè habet Basilii Frater s. Gregor. Nyssenus oratione 2. in illud: Faciamus hominem ad imaginem nostram. Atque ex eodem Nysseno Author Catena;*

(b) *Rom. 1.* (c) *Cap. 5.* (d) *Eccle. 2.* (e) *Hom. 9. in Hexam.*

## 64    CONSIDERATIO III.

Quando, ait, speculatrix animæ vis  
rebus sensibilibus vacat, à natura si-  
tuque suo avulsi luxantur oculi, &  
quamdiu per illos aspicit res infimas,  
in calcaneos migrant, illaque rerum  
sublimium contemplationis fit expers.  
Nihil igitur mirum, si stultus in tene-  
bris ambulat, (f) & nescit quò va-  
dat, (g) qui non in capite oculos habeat,  
sed in pedibus, aut potius sub pedibus, ea-  
dumtaxat quæ in terra aut sub terrâ sunt,  
aspiciens, totus illis inhians & inhærens  
totus. Stultam illam mundi sapientiam ge-  
neroſo contemptu despexit calcavitque Patr-  
linus, ex opulentissimo, disertissimo, gra-  
tiosissimo, consulari, atque adèò Romano  
consule, egentissimus humillimusque sive  
Monachum eum spectes, seu Nolæ Episco-  
pum. Ejus si perlegeris epistolas, videbis  
quām nihil facienda sit mundana sapientia;  
quantum in illa cœcitatis, erroris, & pe-  
riculi: quantum contrà, ex ejus contemptu,  
gaudij ac pacis animi. En aliqua ex iis,  
quæ ad Aprum scribit, gratulatus insignem  
ejus à foro ac tribunali ad Christum transi-  
tum. (h) Sibi habeant litteras suas Ora-  
tores, sibi sapientiam suam Philoso-

[ f ] Eccle. 2. [ g ] Ioan. 12. [ h ] Epist. 29.

## STULTA SAPIENTIA. 65

phi, sibi divitias suas divites, sibi regna sua Reges: nobis gloria, & possessio, & regnum Christus est,.....; cui consepulti sumus, in quo nunc abscondimur hujus mundi oculis, ut confusione ejusdem, cum ipso reveallemur..... Sine illos interim, Frater dilectissime, fruantur gloria & vita sua, potiantur fructibus suis; quoniam sicut olera herbarum citò decident, & dies eorum sicut umbra prætereunt; quorum spes intra hujus ævi spatia concluditur,..... Per fidem Christi discimus agnoscere veritatem vel in contemptu temporalium, vel in appetitu æternorum bonorum. A quo alieni, quia & Veritas Christus est, in hac necesse est errorum infelicium cœcitatem, ut in fragili soliditatem, & in solido inanitatem putent; vera pro vanis rideant, & pro veris vana minorentur. Hæc cœlesti plenus sapientia Paulinus, qui alibi scribens ad Augustinum (i) (à quo vir summè humilis foveri rogat & corroborari in sacris litteris & spiritualibus studiis) sic de se loquitur. Sapientiam mundi miser hucusque mi-

(i) Epist. 41.

## 66 CONSIDERATIO III.

ratus sum , & per inutiles litteras reprobata inque prudentiam Deo stultus & mutus fui. Postquam inveteravi inter inimicos meos , & evanui in cogitationibus meis , levavi oculos meos in montes , ad præcepta legis , & gratiæ dona suspiciens , unde mihi auxilium venit à Domino ; qui non secundùm iniquitates retribuens , illuminavit cœcum , soluit compeditum , humiliavit erectum malè , ut erigeret humiliatum piè , Contemnendam mundanæ sapientiæ fatuitatem , egregiè proponebat Nepoti suo Ioannes Picus Mirandulanus Princeps : (k) Sapientia ista mundi stultitia est apud Deum ; & stultitia Christi illa est , quæ sapientiam vincit mundi ; per quam placuit Deo salvos facere credentes : si insanos eos esse non dubitas , qui virtuti detrahunt tuæ , & Christianam vitam , hoc est , sapientiam , insaniam vocant ; cogita , quanta tua esset insania , de insanorum judicio à rectæ vitæ instituto dimoveri.... A quibus si petas , quò tendant ; quò sua studia , opera , curas , referant ; quem denique finem sibi præsti-

(k) Ep. 2.

## STULTA SAPIENTIA. 67

tuerint, in cuius adeptione felices futuri sint; aut nihil omnino habebunt quod respondeant, aut pugnantia secum controversaque sibi ipsis verba, velut phanaticorum deliramenta, loquentur.... Fuge, si tua salus tibi est cordi; fuge, quantum potes, eorum consuetudinem.



## CONSIDERATIO IV.

### SAPIENS STULTITIA.

I. **S**i quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat ut sit sapiens. (a) Recte, si videtur, non si est: neque enim vera est saecularis sapientia, sed solum apparet. Abjiciat igitur istam sapientiam apparentem, ut sit sapiens secundum sapientiam divinam, que est vera sapientia, ut vere pronuntiat Angelicus Thomas (b) explicans istum Apostoli locum, qui et sapientissime subdit: Et hoc etiam observandum est.

(a) 1. Cor. 3. (b) Ibi.

## 68 CONSIDERATIO IV.

non solum in his , in quibus sacerdotalis sapientia contrariatur veritati fidei ; sed etiam in omnibus , in quibus contrariatur honestati morum. Sapientia enim hujus mundi , stultitia est apud Deum. (c) *Quod autem stultum mundo videtur , id utique sapientissimum est re ipsa & Dei judicio.* Verbum crucis , inquit *Apostolus* , pereuntibus quidem stultitia est : iis autem , qui salvi fiunt , id est , nobis , Dei virtus est. *Et paulo inferius.* Nos autem prædicamus Christum crucifixum , Judæis quidem scandalum , Gentibus autem stultitiam ; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis , Christum Dei virtutem , & Dei sapientiam : quia quod stultum est Dei , sapientius est hominibus : & quod infirmum est Dei , fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram , Fratres : quia non multi sapientes secundum carnem , non multi potentes , non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi , elegit Deus , ut confundat sapientes : & infirma mundi elegit Deus , ut confundat fortia : & ignobilia mundi , & contemptibilia elegit

(c) 1. Cor. 3.

## SAPIENS STULTITIA. 69

Deus, & ea quæ non sunt, ut ea  
quæ sunt, destrueret. (d) Quare qui  
incarnat & Sapientia discipulus & imitator  
esse cupit, stultus fiat in hoc sæculo:  
stulta mundi, ignobilia, & contempti-  
bilia eligat, Sic Christus huic mundo fac-  
tus est (ita loqui liceat) stultus, dum ele-  
git & docuit sui exinanitionem, rerum om-  
nium contemptum & inopiam, patientiam,  
qua mundus estimat stulta; at non ita  
spiritus Dei. Nos autem non spiritum  
hujus mundi accepimus, sed spiritum  
qui ex Deo est. Animalis autem ho-  
mo non percipit ea, quæ sunt spiritus  
Dei: stultitia enim est illi, & non  
potest intelligere. Nos autem sensum  
Christi habemus. (e) Ergo cum Christi  
Apostolo dicamus: Nos stulti propter  
Christum. (f) De hac sapienti stultitia  
ex vero dicere mihi licet illud Ecclesiastæ  
sapientissimi: Pretiosior est sapientia &  
gloria, parva & ad tempus stultitia:  
(g) sive, ut habet S. Hieronymus in  
veteri editione: Pretiosa est super sa-  
pientiam & gloriam stultitia parva:  
cui consentit Chaldaeus: Quantum autem

(d) 1. Cor. 1. (e) 1. Cor. 2. (f) 1. Cor. 4.

(g) Eccl. 10.

70 CONSIDERATIO IV.

sapientium prudentiâ & divitum opibus præstat is , cuius mediocris est & levis stultitia ? Certè parva omnino & levis Christi affeclarum stultitia , longèque pretiosior super mundanam sapientiam & gloriam , quæ summa stultitia , sterlus & vermis est . ( h ) Vis intelligere ; quam pretiosa sit in conspectu Dei , sapiens ista stultitia ? Attende Christi , Patri sibique gratulantis , verba : Confiteor tibi , Pater , Domine cœli & terræ , quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus , & revelasti ea parvulis . Ita Pater : quoniam sic fuit placitum ante te . ( i ) Quæ verba explicans S. Augustinus : ( k ) Si dictorum , inquit , sensum inspicimus , videbimus ea quæ ad exhortationem credentium à Domino dicta sunt , eorum , qui propterea quod mundanam sapientiam spernunt , parvuli videntur sapientibus mundi , qui nullo testimonio commendati sapientes dici volunt . Idcirco indignum visum est Deo his ostendere veritatem : humilibus autem qui nihil de se præsumentes divinæ se volunitati inclinant ,

( h ) 1. Machab. 2. ( i ) Matth. 14. ( k ) Question. ex iure quoque testamento q. 100.

## SAPIENS STULTITIA. 71

æquitate cogente salutaria revelanda sunt. &c. Et alibi (<sup>l</sup>) in eadem verba: Unde Dominus exultavit, nisi quia revelatum est parvulis? Debemus esse parvuli: nam si voluerimus esse magni, quasi sapientes & prudentes, non nobis illud revelatur. Qui sunt magni? Sapientes & prudentes. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Rom. I. HABES REMEDIUM à contrario. Si dicendo te esse sapientem, stultus factus es; dic te stultum, & sapiens eris. Sic dic. Dic, & intus dic: quia sic est, ut dicis. Vnde & S. Pater noster Ignatius dicebat: Desidera stultus haberi ab hominibus, ut sapiens habearis à Deo, ut ipsum lucrifacias. Beati, qui ex eorum numero esse merentur, quos mundus pro stultis, Deus pro sapientibus habet! (<sup>m</sup>)

II. Contemplari Dei sapientiam non possunt, qui sibi sapientes videntur: quia tanto ab ejus luce longè sunt, quanto apud semetipsos humiles non sunt: quia in eorum mentibus dum tumor elationis crescit, aciem contem-

(1) De verbis Domini serm. 8. (m) Lud. Blof. parad. an. fidel. c. 7.

## 72 CONSIDERATIO IV.

plationis claudit, & unde se lucere præ ceteris æstimant, inde se lumine veritatis privant. Si igitur veraciter sapientes esse atque ipsam sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus. Relinquamus noxiā sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe scriptum est: Stulta mundi elegit Deus &c. Hinc rursum dicitur: Siquis videtur inter vos sapiens esse &c. Hinc Evangelicæ historiæ verba testantur: quia Zacchæus cùm videre præ turba nihil posset (Luc.9.), Sycomori arborē ascendit, ut transeuntem Dominū cerneret. Sycomorus ficus fatua dicitur. Pusillus itaque Zacchæus sycomorum subiit & Dominum vidit: quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillitatem namque nostram ad videndum Dominum turba præpedit: quia infirmitatem humanæ mentis, ne lucem veritatis intendat, curarum sæcularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si providè eam, quæ divinitus præcipitur, stultitiam mente tenemus. Quid enim in hoc mundo

mundo stultius, quām amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, imò adjunctis aliis patientiam præbere? Hactenus Gregorius & pontificiâ celsitudine & sapientiâ verè magnus.

(a) Venerabilis Beda explicans eundem illum locum Evangelistæ de Zacchæo sycomorum ascende, docet crucem, quæ Gentibus quidem mundanisque sapientibus stultitia est, ascendendam esse, indequic despiciendam mundalem ( quæ vox est S. Hieronymi & aliorum Patrum ) sapientiam: Pusillus, inquit, necesse est turbæ nocentis obstaculum altiora petendo transcendat, terrena relinquat, arborem crucis ascendat. Sycomorus namque ( quæ est arbor foliis moro similis, sed altitudine præstans, unde & à latinis celsa nuncupatur ) ficus fatua dicitur. Et eadem Dominica crux, quæ credentes alit ut ficus, ab incredulis ( addo, à mundanis ) irridetur ut fatua; (b) à veris autem sapientibus amatitur & prædicatur, ut fons omnis sapientia & salutis. In illâ sapienti & salutiferâ fatuitate unicè gloriabatur ma-

D

(a) L. 27. moral. c. 27. (b) Beda. L. 5. c. 77.  
in Luc. 19.

## 74 CONSIDERATIO IV.

ximus ille Gentium Doctor , cùm ex abundantia cordis loquebatur : Mihi autem absit gloriari , nisi in Cruce Domini nostri JESU CHRISTI : per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. (c) & iterum : Quæ mihi fuerunt lucra , hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse , propter eminentem scientiam JESU CHRISTI Domini mei : (d) in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. (e) Et ideo non oportet , ait sapientissimus Aquinas , (d) sapientiam querere nisi in Christo. Trahitur autem ut sapienter pronuntiat alter Thomas , vera sapientia , de occultis verbis , & sacris actibus Christi , qui suadet spernere mundum , fugere delicias , domare carnem , pati dolores , subire labores amare virtutes. (e) Quid igitur superest , nisi ut relictâ sæculi & sapientiâ & vitâ , & stultos nos haberi patiamur , & mori cum Domino semper optemus ? (f) O sancta fatuitas , quæ

(c) Galat. 6. (d) Philip. 3. (e) Coloss. 2. [d] Ibi lect. 2. (e) Kemp. hortulo rosarum c. 3. (f) tom. 9. operum S. Hieron. epist. 7. sub finem.

## SAPIENS STULTITIA. 75

natos ad labores homines in mundo, mereris transvehere ad gloriam, ereptos de pœnis ! Non hanc fatuitatem doctissimam Athenis Plato didicit, non Aristoteles, non Anaxagoras, non ceterorum stultorum mundi sapientium turba percipit. Non certè miser ego Hieronymus fatuorum sapientum imitator, antequam sancta verbera luerem. (g)

III. *Sapiebat cœlestem sapientiam Rex David, cùm accinctus ephod lineo saltabat totis viribus ante Dominum, & acerbissimas irridentis uxoris sua Michol voces non aliis quam vera modestia & animi demissionis verbis excipiebat: Ante Dominum, qui elegit me, & ludam, & vilior fiam plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis.* (a) Ludam scilicet, *ait sapiens Bernardus,* (b) ut illudar. Bonus ludus, quo Michol irascitur; & Deus delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculū præbet. Bonus, inquā, ludus, quo efficiuntur opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Nam

Dij

(g) ed. tom. Regulæ Monacharum cap. 11. (a) 2, Reg. 6.. (b] ep. 87. ad Ogerium sub sincm.

76 CONSIDERATIO IV.

revera quid aliud sæcularibus quā ludere  
videmur: cùm quod ipsi appetunt in hoc  
sæculo , nos per contrarium fugimus : &  
quod ipsi fugiunt , nos appetimus ?

Ita tres Magi lactentem puerum a-  
dorantes in tugurio vili , in vilibus  
pannis ( *inquit idem Bernardus* ) (c) insi-  
pientes facti sunt ut fierent sapientes,  
& prædocuit eos Spiritus , quod pos-  
teà prædicavit Apostolus : *Qui vult*  
*sapiens esse , stultus fiat , ut sit sapi-*  
*ens. Ingrediuntur stabulum , inveniunt*  
*involutum pannis infantulum. Non*  
*illis sordet stabulum ; non pannis of-*  
*fenduntur ; non scandalizantur lacten-*  
*tis infantia , procidunt , venerantur ut*  
*regem , adorant ut Deum. Sed profe-*  
*tò qui illos adduxit , ipse & instruxit*  
*& qui per stellam foris admonuit ,*  
*ipse in occulto cordis edocuit. Istan*  
*eundem ludum egregiè lusit S. Paulinus sa-*  
*pienter stultus ; & rerum omnium sponte nu-*  
*dus propter Christum , nihil moratus mun-*  
*dana omnia & opprobria. Sic præter alia ad*  
*Ausonium :* (d)

..... Stultus diversa sequentibus esse  
Nil moror , eterno mea dum senten-  
tia Regi

(c) *Serm. I. de Epiph.* (d) *Carmine 12.*

## SAPIENS STULTITIA. 77

Sit sapiens. Breve quidquid homo est,  
ut corporis ægri ,

Temporis occidui , & sine Christo pul-  
vis & umbra :

Quod probat aut damnat , tanti est ,  
quanti arbiter ipse.

Ipse obit , atque illi suus est comita-  
bilis error.

Cumq; suo moriens sententia judice  
transit.

Idem Paulinus similem ludum , & sa-  
pientem stultitiam Apro viro à spretâ mundi  
sapientiâ clarissimo gratulatur his inter alia  
verbis : (e) Quò magis gratulor unanimi-  
tati tuæ, quòd illam reprobatam Deo sa-  
pientiam respuisti, & cū parvulis Christi,  
quàm cū sapientibus mundi, habere con-  
sortium maluisti. Inde jam & hanc gra-  
tiam mereris à Domino, ut te, sicut indi-  
care dignatus es piè gloriās, oderint om-  
nes : quod non fieret, nisi verus imitator  
Christi esse cœpisses. Non enim odisset  
hic mundus, nisi quòd jam à se alienum,  
& sibi videret adversum. Et inferius :  
Nunc verè sapiens , verè disertus , verè  
potens, qui mundo huic stultus & mutus  
es, ut authori linguae & mentis tuę facū-  
dus & sapiens de suis muneribus Dcō

(e) Epist. 29. ad Aprum.

## 78 CONSIDERATIO IV.

servias. Egregie quoque mundi hujus fastum, stultasque oblocutiones contemnebat insignis ille Catholicae fidei assertor, integerrimus Angliae Cancellarius, Thomas Morus, de quo sic Thomas Stapletonus: (f) Sed & in ipsa sua Ecclesiâ, sacerdoti canenti, indutus superpelliceum, concinebat. Quod cum etiam regni Cancellarius ficeret, monitus à Duce Northfolciæ, qui aliquando superveniens eum sic cum superpelliceo in choro canentem deprehenderat, hunc ejus agendi morem Regi haud dubiè displicitum, ut nimis humilem, ac dignitati, qua fungeretur, minus congruum, respondit: Domino meo Regi displicere non potest, quod ipsius Regis Domino obsequium impendo. Jam vero sacerdoti sacrificanti (supplens locum idiotæ) ad altare ministrabat: & interdum in supplicationibus de more publicis, sed parochiæ suæ, crucem sacerdoti præferebat, vulgaris clerici vel æditui officium facere nihil recusans, nihil detrectans, nihil erubescens, imò vehementer gaudens: quasique cum Davide tripudians ante arcam Domini, & dicens: vilior siam plusquam [f] in ejus vita cap. 6.

SAPIENS STULTITIA. 79

factus sum , & ero humilis in oculis meis. Eundem mundo quidem stultorum sed Christo sapientium ludum insigniter lusit Paula illa , nobilis quidem genere, sed multò nobilior sanctitate : potens quondam divitiis , sed Christi paupertate insignior ; Gracchorum stirps , soboles Scipionum , Pauli heres, cuius vocabulum trahit ; Martiæ Papiriæ , matris Africani , vera & germana progenies, quæ Romæ prætulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia informis luti vilitate mutavit , ut in ejus Epitaphio scribit S. Hieronymus ad Eustochium virginem Paulæ filiam , (g) qui deinde sic habet : Novi susurronem quandam ( quod genus hominum vel pernitiosissimum est ) quasi benevolum nuntiasse, quod pro nimio fervore virtutum quibusdam videretur insana , & cerebrum illius dicerent confovendum. Cui illa respondit : Theatrum facti sumus mundo, & Angelis , & hominibus ( 1. Cor. 4. ) Et : Nos stulti propter Christum : sed stultum Dei sapientius est hominibus. ( 1. Cor. 1. ) : unde & Salvator loquitur ad Patrem : Tu scis insipientiam

D iiii

(g) to. 1. Epist. 27.

## 30 CONSIDERATIO IV.

meam. (Ps. 68.) &c. Denique ludum illum Deo & Angelis longè gratissimum luserunt, tot summis honoribus, diadematis, sceptris, stemmatis, opibus, ceterisque naturæ fortunæve dotibus illustres viri feminaq; qui insigni omnium, quæ à stultis corde, magna falso estimantur, contemptu, stulti mundo, sapientiam sanctorum & mercedem adepti sunt. An tu, mi Christiane, inter illos accenserি non ambis? Renuis despere mundo, ut sapias Deo? Atqui etiam atque etiam cave, ne seriūs, cum infinito stultorum numero, insipientiam tuam lugas & luas aeternū, ingeminans illud Salomonis olim infatuati: Non didici sapientiam, & non novi scientiam sanctorum. (h)

(h) Prov. 30.



## CONSIDERATIO V.

### SCIENTIA VANA.

I. **V**Ani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his quæ videntur bona, (hoc est,

de rebus istis visilibus ) non potuerunt intelligere eum qui est , ( hoc est , Deum ) neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex . (a) Propterea captivus est populus meus , quia non habuit scientiam ; (b) Scientiam Dei , scientiam sanctorum : (c) Sed scientiam mundi , quæ docet vanitatem ; & scientiam carnis , quæ docet voluptatem . (d) Talis autem scientia inflat ex Apostolo , (e) Et juxta vocem græcam , tumet , turget instar follis vento distenti , ac vesicularum turgentium , (f) quæ fuit plaga Ægyptiorum , id est , sapientium hujus mundi , ut ait S. Thomas . (g) Si quis autem ( subdit Apostolus ) (h) existimat se scire aliquid , nondum cognovit quomodo oporteat eum scire . Quæ verba explicans S. Bernardus , (i) , Vides , inquit , quoniam non probat multa scientem , si sciendi modum nescierit ? Vides , inquam , quomodo fructum & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit ? Quid ergo dicit modum sciendi ? Quid , nisi ut scias quo ordine ,

## D v

(a) Sap. 13. (b) Isa. 5. (c) Sap. 10. (d) Bernard. Serm. in illud sap. 10. Iustum deduxit per vias rectas . (e) 1. Cor. 8. (f) Exod. 9. (g) in 1. Cor. §. lect. 1. (h) Ibid. (i) Serm. 36. in Cant.

## 32 CONSIDERATIO V.

quo studio , quo fine quæque nosse oporteat ? Quo ordine ? ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio ? ut id ardentius , quod vehementius ad amorem. Quo fine ? ut non ad inanem gloriam , aut curiositatem, aut aliquid simile , sed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum ut sciant ; & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt ut sciantur ipſi ; & turpis vanitas est. Et sunt item qui scire volunt ut scientiam suam vendant , verbi causâ , pro pecunia , pro honoribus ; & turpis queſtus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut edificant ; & charitas est. Et item qui scire volunt ut edificantur ; & prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ , quippe qui ad hoc volunt intelligere , ut benefaciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Ps. 110. Hactenus mellifluus Doctor , ex cuius egregijs dogmatis facile colliges , probandane an reprobanda sit tua scientia , siſne ex illorum numero , propter quos dicit Dominus : Ego sum Domi-

nus, convertens sapientes retrorsum :  
& scientiam eorum stultam faciens :  
(k) & alibi : Stultus factus est omnis  
homo à scientiâ, (l) primò propter cor-  
dis elationem, secundò propter inqui-  
rendi curiositatem, tertiò propter scien-  
tiæ incertitudinem, quartò propter o-  
peris perversitatem, ut subiicit Doctor  
Angelicus explicans ista Ieremia verba ; qui  
in supradictum locum Apostoli ad Corinthios,  
Hic ostendit, ait, quomodo sine chari-  
tate scientiam inutiliter habent. Scien-  
tia si sola est, inflat. Unde addenda  
est scientiæ charitas. Augustinus. Ad-  
dite ergo scientiæ charitatem, & u-  
tilis erit scientia. Per se quidem est  
inutilis, ex charitate utilis. Sit tua,  
mi Christiane, scientia ornata charitate,  
bonis operibus comitata, intellectum sic pas-  
cat, ut non jejunet voluntas aut ad noxia  
deflectat, neque torpescant manus pedesve  
ad custodiendas justifications Domini, ad  
currendam viam mandatorum Dei. Ita de-  
num non eris de illorum numero, de quibus  
Apostolus : Semper discentes, & nun-  
quam ad scientiam veritatis pervenien-  
tes ; (m) Sed de illis, quos idem Doctor  
hortatur : Ut ambuletis dignè Deo per  
(k) Isa. 44. (l) Ierem. 10. (m) 2. Tim. 3.

34 CONSIDERATIO V.

omnia placentes , in omni opere bono  
fructificantes , & crescentes in scientia  
Dei. (n)

II. Omnis homo naturaliter scire de-  
siderat ; sed scientia sine timore Dei  
quid importat ? Melior est profecto  
humilis rusticus , qui Deo servit ;  
quam superbus Philosophus , qui , se  
neglecto , cursum cœli considerat. Si  
scirem omnia , quæ in mundo sunt ,  
& non essem in charitate , quid me ju-  
varet coram Deo , qui me judicatu-  
rus est ex facto ? Multa sunt , quæ  
scire , parum vel nihil animæ prosunt.  
Et valdè insipiens est , qui aliis inten-  
dit , quam iis , quæ saluti suæ deservi-  
unt. Quantò plus & melius scis , tan-  
tò gravius inde judicaberis , nisi san-  
ctius vixeris. (a) Quid prodest tibi ,  
alta de Trinitate disputare , si careas  
humilitate , unde displiceas Trinitati ?  
Opto magis sentire compunctionem ,  
quam scire ejus definitionem. Si sci-  
res totam Bibliam exterius , & om-  
nium Philosophorum dicta , quid to-  
tum prodest sine charitate Dei , &

(n) Coloff. 1.

(a) Th. à Kemp. de imit. l. I. c. 2.

gratiâ ? (b) Grandis insipientia , quòd neglectis utilibus & necessariis , ultro intendimus curiosis & damnosis. Non est culpanda scientia , aut quælibet simplex rei notitia , quæ bona est in se considerata : sed præferenda est semper bona conscientia , & virtuosa vita. Quia verò plures magis student scire , quam benè vivere ; ideo sæpè errant , & pènè nullum , vel modicum fructum ferunt. O si tantam adhicerent diligentiam ad extirpanda vitia , & virtutes inserendas , sicuti ad movendas quæstiones : non fierent tanta mala & scandala in populo , nec tanta dissolutio in Cœnobiis. Certè adveniente die judicii , non quæretur à nobis quid legimus , sed quid fecimus : nec quam benè diximus , sed quam religiosè viximus. Dic mihi , ubi sunt modò omnes illi Domini & Magistri , quos benè novisti , dum adhuc viverent & in studiis florerent ? In vita sua aliquid esse videbantur , & modò de illis tacetur. O quam citò transit gloria mundi ! Utinam vita eorum , scientiæ ipsorum concordasset ! tunc benè studuis-

[b] eod. lib. c. I.

## 86 CONSIDERATIO V.

sent, & legissent. Quām multi per-  
reunt per vanam scientiam in sēculo,  
qui parum curant de Dei servitio? (c)  
Hęc & alia, cęlesti sapientiā imbutus  
Thomas Kempensis, simplici, at  
efficaci stylo, de vanitate scientiæ sine Dei  
timore & amore. Habe & aliqua ex mel-  
lifluo Bernardo. Multi multa sciunt, &  
seipso nesciunt. Alios inspiciunt, &  
se metipso deserunt. Deum quærunt  
per exteriora, deserentes sua interiora,  
quibus interior est Deus. (d) Et alibi:  
Multi quærunt scientiam, pauci verò  
conscientiam. Si verò tanto studio &  
sollicitudine quæreretur conscientia,  
quanto quæritur sęcularis & vana scien-  
tia; & citius apprehenderetur, & u-  
tilius retineretur. (e) Et ad Eugenium  
summum Pontificem: Noveris licet om-  
nia mysteria, noveris lata terræ, alta  
cęeli, profunda maris: si te nescieris,  
eris similis qđificanti sine fundamento:  
ruinam, non structuram faciens. (f)  
Quęlo te, quod memoriale virtutis,  
quę laus disciplinæ, quis scientiæ pro-  
fectus, vel artis fructus, trepidare ti-

(c) eod. lib. c. 3. (d) Meditat. c. 1. [e] de inter. domo  
c. 21. & de conscient. c. 2. (f) L. 2. de consider.

more , ubi non est timor , & timorem  
Domini relinquere ? Quām salubriūs  
disceres JESUM , & hunc crucifixum ?  
Quām utique scientiam haud facilē  
nisi qui mundo crucifixus erit , appre-  
hendit. (g) Hanc scientiam uti addisce-  
res , quantum atatis tuae , ( dic , quæso te  
studiose mi Lector ) quantum laboris im-  
pendisti ? Quantum , contrà , ut vanam  
& sacerularem illam ? à quā etiam ut ne te  
quandoque subducas ad aliam salubrem &  
necessariam addiscendam & exercendam ,  
causaris & pro excusatione prætendis cum  
Iovio illo tributis præfecto , ad quem Pauli-  
nus , ( h ) nescio quæ impedimenta . Sie  
autem hominem urget Nolanus Præful . Om-  
nium Poëtarum floribus spiras , om-  
nium Oratorum fluminibus exundas ,  
Philosophiæ quoque fontibus irrigaris ,  
peregrinis etiam dives litteris , roma-  
num os Atticis favis imples . Quæso  
te , ubi tunc tributa sunt , cùm Tul-  
lium & Demosthenem perlegis ? vel  
jam usitatorum de saturitate fastidiens  
lectionum , Xenophontem , Platonem ,  
Catonem , Varronemque perfectos

(g) Idem ad Thom. de S. Andom. ep. 108. ( h )  
Epist. 38.

## 88 CONSIDERATIO V.

revolvis ; multosque præterea , quo-  
rum nos fortè nec nomina , tu etiam  
volumina tenes ? Ut istis occuperis,  
immunis , & liber ; ut Christum ,  
hoc est , sapientiam Dei discas, tributa-  
rius & occupatus es. Vacat tibi , ut  
& Philosophus sis ; non vacat , ut  
Christianus sis. Verte potius senten-  
tiam , verte facundiam. Esto Peripa-  
teticus Deo , Pythagoreus mundo ;  
veræ in Christo sapientiæ prædicator,  
& tandem tacitus vanitati , & que-  
sequuntur , quæ cum fructu legeris , si ad  
te reflexeris. Væ enim illi , ( verba sunt  
S. Francisci Borgiae ) (i) qui insatiabili  
quadam studiorum voluptate abreptus,  
nullam temporis partem spirituali pro-  
fectui ex ipsis colligendo tribuerit.....  
Neque verò aliam ab causam discipli-  
nas sectari debemus , quàm ut per eas  
clarius cognoscentes Conditoris nostri  
magnitudinem , bonitatem , sapien-  
tiam , illum vehementius , & diligen-  
tius diligamus..... Væ iterum illi ;  
qui , quò magis se studiis litterarum  
addixerit , cò minùs intelleixerit , quàm  
nihil sit. *Vtrumque istud Væ quàm lon-*

(i) epist. ad Nostros lib. 10. ejus operum.

gissimè à se avertit sapientissimus juxta ac  
sanctissimus Borgia , in studiis inprimis  
in id intentus , ut cuncta ad sese co-  
gnoscendum despiciendumque revoca-  
ret ; solitus etiam Theologicarum re-  
rum è sancto Thoma ( in cuius doc-  
trina eminentissimus Theologus fuit ,  
& ob eam rem assignatus ad confutan-  
dos in Tridentino Concilio illius sæ-  
culi errores , quamvis eò posteà non  
potuerit ire , gravissimis præpeditus ne-  
gotiis à Quæsitore fidei Generali in  
Hispaniarum regnis ) deprompta capi-  
ta in seriem quasi Litaniarum digere-  
re , ut studium in quandam orandi  
methodum verteretur , deoque Deo  
disputatio esset consuetudo cum ipso  
Deo. (k) *Istas Litanias ex tota Angelici  
Doctoris summâ pulcherrimo piissimoque ar-  
tificio concinnatas , habes operum B. Borgiae  
libro octavo , eo fine , ut non solùm in-  
tellectus (loquitur idem sanctus ) (l) ma-  
teriarum theologicarum sublimitatem  
& altitudinem assequi contentus sit ,  
verùm etiam voluntas flagrantissimis  
divini amoris flammis exardescat. Quo-*

(k) part. 3. c. 5. vite præfixæ ejus operibus. (l)  
prælud. ad Litan.

## 90 CONSIDERATIO V.

niam cognitio , amoris expers , quasi corpus est animâ destitutum : amor enim calor est , in quo potissimum consistit vita.

III. *Quis non demiretur vehemens illud sciendi desiderium , quo flagrarent olim hodieque flagrant homines ; doleatque non mediocriter , tantum temporis laborisque insumpturn rerum humanarum notitiae , simplici illi ac nuda , neque ad Dei cognitionem amoremque directe ? Legimus ( scribit Hieronymus ad Paulinum ) (a) quosdam lustrasse provincias , novos adiisse populos , maria transiisse , ut eos , quos ex libris noverant , coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphyticos vates ; sic Plato Ægyptum , & Archytam Tarentinum , eamque oram Italiam , quæ quondam magna Græcia dicebatur , laboriosissimè peragravit.... Ad T. Livium , de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus.... Apollonius intravit Persas , pertransivit Caucasum , Albanos , Scythas , Massagetas , opulentissima Indiæ regna penetravit , &c. Vis & de aliis aliquid ? Aristodemus to-*

(r) epist. 102.

## SCIENTIA VANA. 91

tam vitam insumpsit speculanda avicularum naturae; Aristomachus apum reipublicae; Philiscus earumdem proprietatibus, inter silvas & alvearia. Heraclitus adeo naturae solis cognoscenda desiderio tenebatur, ut diceret, optare se Phaëthonis aut Capanei instar, fulmine afflari, modo temporis aliquo spatio, solis sphæram contemplari posset. Anaxagoras patrimonium vendidit, ut Philosophiae vacaret. Democritus rebus omnibus, atque adeo ipsis se privavit oculis, ne rerum occursantium objectu in scientiarum contemplatione obturbaretur. Plato tres Philolai Philosophi libros tribus aureorum millibus emit, cum dives admodum non esset; Aristoteles paucos Pseusippi libros duobus fermè aureorum millibus. Archimedes, totos dies noctesque in labro aquæ pleno sedens, repertæ, quam profundis cogitationibus mersus nosse nitebatur, ne ab aurifice deciperetur, corona & auri quantitate, gaudio subsiliens, Inveni, clamatbat, Inveni. Incredibile dictu est, quantum Demosthenes molestia labrisque devoraverit corrigendo lingua vito, formandâ voce, firmandis lateribus. Quid non (ut innumeros alios etiam recentiores præteream) Tycho ille Brahe,

## 92 CONSIDERATIO V.

Danus, nobilitate, opibus, ingenio præstans-  
tissimus, vigiliarum ac molestiarum pertu-  
lit; facultates omnes suas, delicias, atatem  
in hoc unum insumens, ut à ceteris homi-  
nibus sponte exul, è crystallina quadam  
speculâ, quam Stelloburgum vocabat, syde-  
rum motus, etiam hieme perfrigidâ, ob-  
servaret? Hæc aliaque discendi studia, quæ  
vana, imò quæ nociva sunt, cùm ad sui  
Deique cognitionem atque amorem cœlestium  
non referuntur! O si (libet iterum exclamare  
cum Kempensi suprà) (b) O si  
tantam adhiberent diligentiam ad ex-  
tirpanda vitia, & virtutes inferendas!  
Lubet & hic attexere sancta magni illius  
Indiarum Apostoli Francisci Xaverij vota,  
qui Cocino scribens Sociis Romam, (c)  
deplorans Ethnicorum pereuntium jacturam  
ob sacerdotum inopiam, optat quæm vehe-  
mentissimè, ut qui adeò ferventer doctrinis  
vacant in Academiis, tantundem opera im-  
penderent saluti proximorum procurande,  
atque inter alia, hæc habet: Quòd si  
quantum dies noctesque elaborant in  
comprehendendâ rerum scientiâ, tan-  
tundem in solido scientiæ fructu ela-  
borarent, & quam diligentiam adhi-

(b) punct. 2. (c) Epist. 1. 1. ep. 5.

bent in cognoscendis iis artibus, quibus student, eam in docendis imperitis, quæ sunt ad salutem necessaria, adhiberent; næ illi haud paulò paratores essent ad reddendam rationem Domino dicenti, Redde rationem villicationis tuæ. *Ardorem nimium sciendi & Gentilium libros evoluendi, luit Sanctus ipse Hieronymus, (ut luculentis verbis exponit scribens ad Eustochium) (d) gravibus, jussu divini judicis, (ad cuius tribunal in spiritu pertractus est, febre ad extrema pænè deducente) infictis verberibus, liber tandem abire permisus, postquam sanctè adpromisit, se nunquam habiturum codices sacerulares, nunquam lecturum. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpè deludimur; testis est tribunal illud, ante quod jacui: testis judicium triste, quod timui: ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæstionem. Liventes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum, & tanto dehinc studio divina legisse, quanto non antè mortalia legeram. Quid si vehementius illud Ciceronem aliosque ethnici-*

(d] Epist. 22.

## 94 CONSIDERATIO V.

cos scriptores legendi studium in Hieronymo severè adeò castigatam est, quantis, quæso, pœnis obnoxij erunt, qui sacerdalem, vanam, & inflantem scientiam sectantur, Dei pœnè ac salutis suæ immemores, certè incurij? Audi celeberrimum illum scientia & vita integritate scriptorem Robertum Cardinalem Bellarminum. (e) Neque verò, ait, humana sapientia solum, sed etiam divinarum scripturarum cognitio, si à charitate, & humilitate se juncta sit, plerumque obest, prodest nunquam. Neque ullos homines reperiri existimo (percipite, quæso, diligenter quæ dicam) nulos, inquam, homines reperiri existimo, qui circa obitum ita de fidei nostræ arduis dogmatibus dubitare, & in abyssum infidelitatis cadere permittantur, ut ii, qui soli sapientiæ operam dederunt, & charitate atque humilitate, dum vivèrent, caruerunt. Ita ille, qui subdit horrendum casum eruditissimi cuiusdam vii extremâ vita periodo à dæmone illusi, & in Arianam heresim atque inferos prolapsitum duo observanda ad rectam & anima proficuum scientiarum acquisitionem & usum; quæ juverit legisse.

(e) concione 15. dom. 1. post Epiph. Lovaniij habit.



## CONSIDERATIO VI.

### VERA SCIENTIA.

I. **U**bi non est scientia animæ, non est bonum. (a) Siquidem divitiæ salutis, sapientia & scientia. (b) Illa utique sapientia, quæ justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: (c) quâ homo seipsum novit, & Deum; rectè judicat de creaturis, easque, ut loquitur s. Thomas, ordinat in bonum divinum: *hoc enim ad scientiam propriè pertinet.* (d) Noste te, Deus noster, consummata justitia est: & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis: (e) Et, Christo ipso pronuntiante, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti J E S U M Chriſtum. (f) Non ergo glorietur sapiens in sapientia suâ, & non glorietur for-

(a) Prov. 19. (b) Isa. 33. [c] Sap. 10. [d] 2. q 2. (e) Sap. 15. [f] Ioan. 17.

## 96      CONSIDERATIO V.

tis in fortitudine sua , & non glorie-  
tur dives in divitiis suis : sed in hoc  
glorietur , qui gloriatur , scire & nosse  
me , quia ego sum Dominus , qui fa-  
cio misericordiam , & judicium , &  
justitiam in terra : hæc enim placent  
mihi , ait Dominus . ( g ) *Istam scien-*  
*tiam petebat sapientissimus David , cùm*  
*psallebat : Bonitatem , & disciplinam ,*  
*& scientiam doce me : & uno eodem-*  
*que psalmo quinies repetens , Da mihi in-*  
*tellectum . ( h ) Istam scientiam unicè in*  
*se aliisque expetebat & prædicabat Vas-*  
*lectionis ( i ) Paulus . Audi illum . Existi-*  
*mo omnia detrimentum esse propter*  
*eminentem scientiam J E s u Christi*  
*Domini mei . ( k ) Et ego , cùm ve-*  
*nisssem ad vos , Fratres , veni non in*  
*sublimitate sermonis , aut sapientiæ ,*  
*annuntians vobis testimonium Christi .*  
*Non enim judicavi me scire aliquid in-*  
*ter vos , nisi J E s u M Christum , &*  
*hunc crucifixum . Et sermo meus , &*  
*prædicatio mea , non in persuasibili-*  
*bus humanæ sapientiæ verbis , sed in*  
*ostensione spiritus & virtutis : ut si-*  
des

( g ) Ierem. 9. ( h ) Ps. 118. ( i ) ad Cor. 9. ( k ) Phil.  
lip. 3.

des vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. (1) Ideò non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia & intellectu spirituali; (m) instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris & Christi J E S U.

(n) *Et iterum.* Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: ut Deus Domini nostri J E S U Christi Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiae gloriæ hæreditatis ejus in sanctis.

(o) Hujus rei gratia flecto genua mea, ad Patrem Domini nostri JESU Christi, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cū omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & su-

E

(1) 1. Cor. 2. (m) Colos. 1. (n) Colos. 2.

(o) Ephes. 1.

## 98 CONSIDERATIO VI.

blimitas, & profundum : scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. (p) En cognitionis divinæ efficaciam, interprete S. Thoma (q) ut habeatis perfectam participationem omnium donorum Dei, ut scilicet hic habeatis plenitudinem virtutum & postea beatitudinis, quæ quidem efficit charitas. Atque ista est vera scientia, scientia Dei, scientia Sanctorum; quam & Apostolorum Princeps apprecatur : Crescite in gratia & in cognitione Domini nostri & Salvatoris Iesu Christi. (r) Hanc, Deus, scientiam doce me : Intellectum damihi, & vivam. (s) Dixisti mi Deus: Dabo eis cor, ut sciant me. (t) Da mihi cor illud, cor carneum, ut in preceptis tuis ambulem, & judicia tua custodiam, faciamque ea. (u) Scientia enim tua, & plenitudo legis est dilectio ; (x) & dilectio, custodia legum est : custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est. (xx) Quare verissime Apostolus tuus : Si ha-

(p) Ephes. 3. (q) Iecl. 5. [r] 2. Petr. 3. (s) Ps. 118. (t) Ierem. 24. (u) Ezech. 11. (x) Rom. 13. (xx) Sap. 6.

VERA SCIENTIA. 99

buero, ait, prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, nihil sum, nihil mihi prodest. (y)  
*Et Propheta tuus: Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum?* Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus, (z) *hoc est, à suis abstractos cupiditatibus, mundi hujus oblectamentis & vanitatibus.* Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. (aa) *Quin immò beatí qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* (bb) *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos,* (cc) *ais aeterna Veritas.* *Et iterum: Si hæc scitis, beatí eritis, si feceritis ea.* (dd) *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* (ee) *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* (ff) *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecerit secundum voluntatem ejus, vapulabit*

E ij

(y) 1. Cor. 13. (z) Isa. 28. (aa) Ps. 93.

(bb) Luc. 11. (cc) Ioan. 8. (dd) Ioan. 13.

(ee) Rom. 2. [ff] Jacob. 4.

100 CONSIDERATIO VI.

multis. (gg) Ideò ( *subdit Chrysostomus.* ) ( hh ) major scientia majoris fit pœnæ materia.

II. Da mihi, Domine, scire quod sciendum est ; hoc amare , quod a- mandum est ; hoc laudare , quod tibi summè placet ; hoc reputare , quod tibi pretiosum apparet ; hoc vitupera- re , quod oculis tuis sordescit. (a) Pri- mum est scientiæ studium , quærere Deum ; deinde honestatem vitæ cum innocentia opere..... Utile est multa scire , & rectè vivere : quòd si utrum- que non valemus , melius est ut bene vivendi studium , quàm multa scien- di sequamur. ( b ) Scientia est , Deum nosse ; virtus , colere : in illo sapien- tia , in hoc justitia continetur. (c) Ille verè habet scientiam Christi , qui justitiam facit. ( d ) Quare non sola Dei mandatorumque scientia & altissi- ma rerum peritia , satis est ad salutem ; sed justa & sancta actio rerum intel- lectarum , nobis est necessaria : hac enim absente , cùm opus est agere ,

( gg ) *Luc. 12. ( hh ) Hom. 77. ad Pop.*

(a) *Tb. à Kemp. de imit. l. 3. c. 50. ( b ) Isidor. Hispal. sentent. l. 2. c. 1. ( c ) Lactant. Instit. diu. l. 6. c. 5. ( d ) Chrysost. hom. 53. in Matth.*

## VERA SCIENTIA. 101

vana est omnis eruditio atque scientia, & maximè nocitura. Scientia enim inflat, & charitas ædificat. *I. Cor. 8.* (e) Qui vult habere notitiam Dei, amet. Frustra accedit ad legendum, ad meditandum, ad orandum, qui non amat. (f) Non enim hanc scientiam lectio docet, sed unctio; non littera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Dei. (g) *Vnde Gregorio magno,* (h) Amor notitia est: *O sapientissimo Augustino,* Amor oculus est; & amare videre est. Id quod pulchre confirmat Beda, cum ait: (i) Habet autem ille scientiæ plenitudinem, qui habet charitatem: quia plenitudo legis est charitas. Ne ergo per multa distrahamur, ne per multa vagemur; si volumus habere scientiæ plenitudinem, habeamus charitatem. Quid enim nescit, qui charitatem scit? Utique omnia scit, quia Deum scit: scriptum est enim, Quia Deus est charitas. *Vnde Psaltes regius:* Accedite ad

E iii

(e) *Philo Carpathius in Cant. Cantic.* (f) *Augustin. manual. c. 20.* (g) *Bernard. ep. 108. ad Thomam de S. Audomaro.* (h) *Hom. 27. in Evang.* (i) *In Psal. 79.*

## 102 CONSIDERATIO VI.

cum, & illuminamini. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. (k) O Veritas Deus, fac me unum tecum in charitate perpetuâ. Tendet me sàpè multa legere & audire: in te est totum quod volo & desidero. Taccent omnes Doctores: silent universæ creaturæ in conspectu tuo, tu mihi loquere solus. (l) Infelix enim homo, qui scit illa omnia, te autem nescit: beatus autem, qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui verò & illa novit, non propter illa beatior. Sed propter te solum beatus est, si cognoscens te sicut Deum glorificet, & gratias agat, & non evanescat in cogitationibus suis. (m)

III. Quoniam non cognovi litteraram, introibo in potentias Domini. (a) Sic est. Etiam illiterati, scientes maximè sunt, quia sciunt, & cudiunt mandata Dei, intrantque in sanctarium, considerant & enarrant mirabilis ejus. Sanctorum scientia, non ingenij vi, non arte longâ, non magno temporis impendio addiscitur: sola voluntate opus est, & humili corde; non mercede, non li-

(k) Ps. 33. (l) Kemp. de imit. l. I. c. 3. (m) August. l. 5. Confess. c. 4. (a) Ps. 70.

## VERA SCIENTIA. 103

bris, non lucubrationibus. Gratis ista  
sunt, facile, citò: modò pateant au-  
res, & pectus sapientiam sitiat. (b)  
O quām velox est sermo sapientiæ!  
& ubi Deus Magister est, quām citò  
discitur quod docetur! (c) Verè be-  
nè doctus est, qui Dei voluntatem  
facit, & suam voluntatem relinquit.  
(d) Ita verè benè docti fuerunt sub Deo  
Magistro Apostoli, homines alioquin sine  
litteris & idiotæ. (e) Ita docti fuerunt  
magni illi, Antonius, Paulus Eremita,  
Hilarion, Benedictus { qui, ut scribit Gre-  
gorius Maximus, (f) despexit littera-  
rum studijs, relicta domo rebusque  
Patris, soli Deo placere desiderans,  
recessit scienter nesciens, & sapienter  
indoctus ) Bernardus sapidissimo Deipara  
lacte potatus, Francisci Assisijs & Paula-  
nus, aliique innumeri, quibus accensendæ  
sunt Catharina Senensis, Teresa, Birgit-  
ta, Clara, Genoveva, & quæ non alia?  
quæ litterarum expertes, introierunt in  
potentias Domini, cibatæ pane vi-  
tæ & intellectus, & aquâ sapientiæ

E iiiij

(b) Lactant. Institut. divin. l. 3. c. 26. (c) S.  
Leo serm. 1. de Pentecoste. (d) De imit. Christi  
l. 1. c. 3. (e) Act. 4. (f) Lib. 2. dialog. præfat.

## 104 CONSIDERATIO VI.

salutaris potatæ. (g) Ita denique docti, tot omnis conditionis, etatis, sexus, Evangelica doctrina sectatores, qui heroico rerum omnium, atque adeò vita hujus contemptu, veram, quam profitebantur, Dei scientiam, asseruerunt. Quid ad illorum memoriam, tot studiosissimi litteratura & pentosa scientia prensatores? num merito, cum Augustino (h) confuso pudore horribili vehementer, narrat à illi à Potitano Sancti Antonii vitâ, & ex hujus lectione duorum amicorum & sponsorum ad Christum transitu, (i) exclament? Quid patimur? Quid est hoc, quod audisti? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt: & nos cum doctrinis nostris, sine corde, ecce ubi volutamur in carne & sanguine? (k) Attendant & doctissimum à seraphico Doctore Bonaventurâ effatum, indeque deductam B. Egidij Aflatis sententiam. Sie habetur in Annibibus Minorum. (l) Etsi F. Egidius litteris instructus non erat (fuit enim laicus, vel conversus, ut vocant) atamen divinæ sapientiæ splendoribus adeò illustratus fuit, ut etiam divinis

(g) Eccli. 15. (h) Lib. 8. Confess. c. 7. (i) c. 6.

(k) c. 8. (l) Wading to. 2. an. Christi. 1262. 4. 1

## VERA SCIENTIA. 105

litteris eruditos excelleret. Dixit aliquando ad S. Bonaventuram tum Ministrum Generalem, virum insigniter doctum: Multis te, Reverende Pater, gratiae suae donis auxit praepotens Deus. Nos verò simplices & idiotae, quidnam faciemus, ut salvi esse queamus? Respondit S. Bonaventura: Etiam si nullam aliam homini gratiam conferret Deus, nisi ut ipsum diligeret, sufficeret ei ad obtainendam salutem. Et Aegidius: Potestne, inquit, homo indoctus æquè atque doctus diligere Deum? S. Bonaventurā respondente, posse etiam simplicem aniculam non minus diligere Deum, quam sacræ Theologiæ benè doctum Doctorem: Fr. Aegidius exiliens ferventi spiritu, in hortum ingressus est, stansque ab eâ parte quę civitatem respicit, altâ voce clamavit: O vos pauperculæ, simplices & indoctæ annus, diligite Dominum Deum vestrum, poteritisque majores effici, quam sit Fr. Bonaventura, qui est Doctor celebris, & Sacræ Theologiæ Magister. Sieque mansit illic immotus, trium horarum spatio raptus in spiritu. De

E v. 12 (n.)

## 106 CONSIDERATIO VI.

Ioanne Pico Mirandulano Principe, viro  
omni litteraturā ornatissimo, hæc scribit  
author vita ejus operibus præfixa: Minu-  
tulum quantulumcumque devoti, vel  
seniculi, vel aniculæ affectum in Deum,  
pluris quam omnem ejus humanarum  
divinarumque rerum notitiam facie-  
bat. Hortabaturque sæpiissimè fami-  
liares, ut ad Deum amandum con-  
verterent & incitarent mentes: quod  
opus præponderaret cuicunque, quam  
in hac vita habere possemus, cogni-  
tioni. Hoc etiam, in libello ipso de  
Ente & Uno, luculentissimè est exe-  
cutus..... Illud quoque divi Fran-  
cisci, Tantum scit homo quantum o-  
peratur, illius in ore frequens fuerat.  
*Ergo*ne litterarum peritia negligenda? mi-  
nimè verò: sed ut Deo grata, ut tue,  
ut proximorum saluti sit utilis, virtuti so-  
cianda est. Doctè observat Iustinus Ma-  
tayr, (m) scientiam & virtutem esse ar-  
borem scientia & arborem vita, quæ prope  
se invicem erant plantata: Neque enim  
vita sine cognitione, neque cognitio  
tuta sine vita verâ. Ideò in propin-  
quo utrumque (*lignum*) plantatum

(m) Ep. ad Diogenem sub finem.

fuit. *S. Ambrosio dictanti in Psalmum 43.*  
*adfuisse dicitur Spiritus Sanctus ignis spe-*  
*cie: (n) Creditur & S. Chrysostomo Pau-*  
*lus Apostolus, quem ille mirificè co-*  
*luit, sæpè scribenti & prædicanti mul-*  
*ta dictasse. (o) SS. Ephrem, Equitius,*  
*Trudo, aliique sapientiæ ac facundia divi-*  
*nitus ornati fuere; (p) à Deiparâ insigni*  
*scientiâ, Albertus Magnus, Rupertus Tui-*  
*tiensis Abbas, Hermannus cognomento Con-*  
*tractus, & alii: (q) Seraphicus Bona-*  
*ventura, Angelico Thomæ petenti ostendi*  
*sibi libros, ex quibus tam multipli-*  
*cem, atque adeò magnam eruditionis*  
*ubertatem hauriret, Christi Domini*  
*cruci affixi imaginem demonstravit:*  
*è quo fonte uberrimo se accipere pro-*  
*fessus est, quidquid vel legeret, vel*  
*scriberet. (r) Ipse verò Angelicus Doctor,*  
*nunquam se lectioni aut scriptioni de-*  
*dit, nisi post orationem. In difficul-*  
*tatibus locorum sacræ Scripturæ, ad*  
*orationem jejunium adhibebat. Quin*  
*etiam sodali suo Fratri Reginaldo di-*

(n) *Paulinus in ejus vita.* (o) *2. Noctur. lett. 6.*

(p) *Vid. A lapide in 1. Iac. v. 5. & Drexelium*  
*Daniel. c. 3. (q) *Vid. Platum de bono stat. Relig.**

*I. 2. c. 32. & 33. (r) Wading. Annal. Min. an.*

*Christ. 1260. n. 20.*

## 108 CONSIDERATIO VI.

cere solebat, quidquid sciret, non tam studio aut labore suo peperisse, quam divinitus traditum accepisse. (f) Ignatius minima Societatis IESV Fundator sapientissimus, in Manresano, mox à saculari ad Christi militiam conversione, secessus, claris adeò illustrationibus à Deo recreatus est, ut posteà dicere solitus sit: Si sacræ litteræ non extarent, se tamen pro fide mori paratum ex iis solum, quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus. Quo tempore, homo litterarum planè rudis, admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum. Ut verò se ad animarum lucra ritè formaret, subsidium litterarum, à Grammatica inter pueros exorsus, adhibere statuit. Majorem Dei gloriam in ore semper habens, semper in omnibus quærens, indefessus lucrandis Deo animis. (g) Sanxit autem prudenterissimè, curandum esse, ut omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum, ac perfectarum, & spiritualium rerum studium incum-

(f) 2. Noctur. lett. 5. (g) Lett. 2. Nocturni.

bant : ac in hujusmodi majus momentum , quām in doctrinā , vel aliis donis naturalibus & humanis , constitutum esse ducant . ( u ) Et alibi : ( x ) Cavendum , ait , ne fervore studiorum , intepescat solidarum virtutum , ac religiosæ vitæ amor . Quæ quidem præclara Parentis optimi monita quām egregiè securi sint , qui ex eadem Societate prodierunt celebres toto Christiano orbe Scriptores , facile patebit legenti illorum vitas & elogia ; ut , quod de magno illo Theologo Gabriele Vasquez scriptum reperio , ( y ) Virum fuisse , in quo virtus cum doctrina , pietas cum sapientiâ certasse videatur : id de quamplurimis aliis meritissimo jure pronuntiari possit . Lege , si placet , Bibliothecam Scriptorum ejusdem Societatis . Certè de Francisco Suarez ( quem Paulus V. datis ad eum quaternis litteris Apostolicis , Doctorem eximium vocat , alii Communem omnium Magistrum , Alterum hujus ætatis Augustinum , &c. ) sæpè à multis vocatum in dubium est , doctiorne esset a sanctior . ( z ) Idem ferè lego de Leonardo .

( u ) Constit. part. 10. §. 2. ( x ) Part. 4. c. 4. §. 2.

( y ) Alegambe Bibliot. Scriptor. Soc. [ 2 ] Ibid.

## XI CONSIDERATIO VI.

Lessio (aa) cui idem Summus Pontifex Paulus, pro defensa divi Petri auctoritate, gratias dixit; cuius volumen de Justitia, Albertus Pius, uti fidelissimum Consiliarium semper in mensa, cui assidere solitus cum audientiam daret, una cum gladio asservabat, (bb) Idem & de aliis cum apud alios, tum apud Trithemium (cc) leges; observabisque, veram præstantemque scientiam cum virtutum perfectarum exercitio conjunctam esse. Tum demum verè doctus evades, cum scientiam virtute ornaveris, imitatus magnum illum Cantuarie Archiepiscopum Edmundum, de quo litteris operam navante sic legimus: (dd) Discendi quidem percupidus, sed recte vivendi cupidior, ita studebat discere, tanquam semper victurus; ita vivere, tanquam cras moriturus.

(aa) Vitæ c. 10. (bb) Ibid. c. 6. (cc) De Scribtor. Eccles. (dd) Vita apud Surium. 16. No<sup>o</sup> vemb.



## CONSIDERATIO VII.

### STUDIVM VERITATIS.

I. **N**Arraverunt mihi iniqui fabulationes: (*ex Septuaginta*, nugas pueriles, nugacitates, fabellas; *ex S. Augustino*, delectationes; *ex S. Prospero*, fabulas vanarum opinionum delectabiles; *ex S. Brunone*, vana verba, & inutilia de sacerdotali felicitate expetendâ) sed non ut lex tua, Domine. Omnia mandata tua veritas. Lex tua; & omnes viæ tuæ veritas. Principium verborum tuorum veritas. (<sup>a</sup>) Emitte igitur lucem tuam, & veritatem tuam; (<sup>b</sup>) ut sit lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. (<sup>c</sup>) Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. (<sup>d</sup>) Salvum me fac Domine: quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. (<sup>e</sup>) Non est in ore eorum veritas: cor eorum va-

(a) Ps. 118. (b) Ps. 42. (c) Ps. 118.

(d) Ibid. (e) Ps. 11.

## 112 CONSIDERATIO VII:

num est. (f) Non est veritas , & non est scientia Dei in terra. (g) facta est veritas in oblivionem. (h) In circuitu impii ambulant : (i) Circuitus ipsorum est , ut circumveant , & non stent ; in gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine , ut scitè Auguſtinus. (k) Ideò vastitas & contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt, & non est judicium in gressibus eorum. Semitæ eorum incurvatae sunt eis : omnis qui calcat in eis , ignorat pacem. (l) Justitiæ autem Domini rectæ , lætificantes corda. (m) Viæ ejus viæ pulchræ , & omnes semitæ illius pacificæ. (n) Collige te ergo , homo à circuitu erroris ad centrum veritatis. (o) Christus est veritas. (p) Ego sum , ait , via , & veritas , & vita. (q) Sine via , non itur ; sine veritate , non cognoscitur ; sine vitâ , non vivitur. Ego sum via , quam sequi debes ; veritas , cui credere debes ; vita , quam sperare debes. Ego sum via inviolabilis ; veritas infallibilis ; vita

(f) Ps. 5. (g) Oſe. 4. (h) Isa. 59. (i) Ps. 11. (k) In Ps. 139. (l) Isa. 59. (m) Ps. 18. [n] Prov. 3. (o) Guilielmus Abbas S. Theodorici suis Meditat. (p) I. Ioan. 5. (q) Ioan. 14.

STUDIUM VERITATIS 113

interminabilis. Ego sum via rectissima; veritas suprema; vita vera, vita beata, vita increata. Si manseris in via mea, cognosces veritatem, & veritas liberabit te, & apprehendes vitam æternam. (r) *Ita credo, ita spero,*  
*Domine, quia tu es Christus Filius Dei*  
*vivi.* (s) *Loquere igitur, Domine,*  
*quia audit servus tuus.* (t) *Servus tuus*  
*sum ego: da mihi intellectum, ut*  
*sciam testimonia tua. Inclina cor meum*  
*in verba oris tui.* (u) *Dicebant olim*  
*filii Israël ad Moysen: Loquere tu*  
*nobis, & audiemus: non loquatur*  
*Dominus, ne fortè moriamur.* (x)  
Non sic Domine, non sic oro, sed  
magis cum Samuel Propheta, humili-  
liter ac desideranter obsecro: Loque-  
re Domine, quia audit servus tuus.  
Non ergo loquatur mihi Moyses, sed  
tu Domine Deus meus, æterna Ve-  
ritas, ne fortè moriar, & sine fructu  
efficiar, si fuero tantum foris admoni-  
tus, & intus non accensus: ne sit  
mihi ad judicium verbum auditum,  
& non factum; cognitum, nec ama-

(r) *De imit. Chr. l. 3. c 56.* (s) *Matth. 16.*

(t) *I. Reg. 3.* (u) *Pf. 118.* (x) *Exod. 20.*

## 114 CONSIDERATIO VII.

tum; creditum, & non servatum;  
 Loquere igitur Domine: verba enim  
 vitæ æternæ habes. (y) Loquere mihi  
 ad qualemcumque animæ meæ con-  
 solationem, & ad totius vitæ emen-  
 dationem, tibi autem ad laudem &  
 gloriam & perpetuum honorem. (z)  
*Non quaro, Domine, cum Pilato, Quid  
 est veritas? (aa) & exeo. Sed te au-  
 dire volo, & (si pateris) cum Magdalena  
 etiam sedens secùs pedes tuos. (bb)*  
*Dixisti Domine: Omnis qui est ex ve-  
 ritate, audit vocem meam. (cc) Et  
 iterum: Qui ex Deo est, verba Dei  
 audit: propterea vos non auditis,  
 quia ex Deo non estis. (dd) Oves  
 meæ vocem meam audiunt. (ee) Va  
 miserrimo mihi, si verba tua non audiam!  
 Erravi, fatigor, sicut ovis quæ pe-  
 riit. Sed bonus es tu: in bonitate  
 tua doce me justificationes tuas. Viam  
 veritatis elegi. Quære servum tuum,  
 (ff) qui venisti quærere, & salvum  
 facere quod perierat. (gg) Redemisti  
 me Domine Deus veritatis. (hh) Il-*

{y) Ioan. 6. (z) De imit. Chr. l. 3. c. 2. (aa)  
 Ioan. 18. (bb) Luc. 10. (cc) Ioan. 18. (dd)  
 Ioan. 8. (ee) Ioan. 10. [ff] Ps. 118. (gg) Luke. 19.  
 [hh] Ps. 30.

## STUDIUM VERITATIS. 115

lustra ergo, Domine, mentem meam,  
ut te perfectè diligam : ut sic infor-  
metur anima mea doctrinâ veritatis,  
ut tecum, qui es amor & veritas,  
in amore & veritate vivam per infini-  
ta sæculorum sæcula. Amen. (ii)

II. Homo factus est ad imaginem  
Dei, in eo quod intelligit veritatem.  
(a) Quare hominis finis est, perfectè  
quærere veritatem. (b) Negotium  
nostrum necessarium & summum esse  
arbitror, magnopere querere verita-  
tem. (c) Cum igitur beati esse cupiamus,  
fieri id non potest, nisi inventâ ve-  
ritate. (d) Errat autem quisquis pu-  
tat veritatē se posse cognoscere, cum ad-  
huc nequiter vivat. (e) Neque Deus in  
regnum suum est rapturus omnes, in  
quibus invenerit aliquam veritatem,  
sed in quibus invenerit veritati con-  
gruam charitatem. (f) Vnde & Disci-  
pulus quem diligebat JESUS, qui &  
recubuit in cœna super pectus ejus, (g)  
Filioli mei, inquit, non diligamus ver-

(ii) Idiota contempl. de amore diu. c. 26. fine.

(a) August. tr. 8. in ep. Iean. (b) Idem l. 1.  
contra Acad. c. 3. (c) Ibid. l. 3. c. 1. (d) Ib. l.  
1. c. 9. (e) Id. l. de Agon. Christ. c. 13. (f) Id.  
l. de unico baptismo c. 7. (g) Iean. 21.

## 116 CONSIDERATIO VII.

bo neque linguâ, sed opere & veritate. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus; (*b*) ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus à Patre. (*i*) Et Apostolus Paulus, Veritatem autem, ait, facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. (*k*) Ita fiat, Domine; serviam tibi in veritate & charitate. (*l*) O Veritas, Veritas per gloriam & majestatem faciei tuæ, ne abscondas eam à me, sed fulgura coruscationes ejus totas in me, ut in lumine ejus videam lumen, scilicet, quid facies mea sit ad tuam faciem; quid tua ad meam: utrum sicut est veritas in te IESU, sic veritas sit in me, deponere me omnem secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. (*m*) Quid est enim aliud Dei facies, quam ipsa, cui suspiramus, Veritas? (*n*) O æterna Veritas, & vera charitas, & chara æternitas! Tu es Deus meus; tibi sus-

(*b*) i. Ioan. 3. (*i*) 2. Ioan. (*k*) Eph. 4. (*l*) 2. Ioan. (*m*) Guiliel. Abb. S. Theodorici in Medit. (*n*) August. l. 1. de Ordine c. 8.

## STUDIUM VERITATIS. 117

veri-  
niam  
tes in  
nus à  
Veri-  
hari-  
nia,  
flat,  
cha-  
per  
, ne  
co-  
in  
cet,  
em;  
est  
t in  
dum  
ho-  
lüm  
enim  
sus-  
erna  
ara  
sus-  
dit.  
} 2.  
piro die ac nocte. (o) Tu es veritas super omnia præsidens. At ego volui tecum possidere mendacium. Itaque amisi te, quia non dignaris cum mendacio possideri. (p) Væ, vœ, quibus gradibus deductus sum in profunda inferni, quippe laborans & æstuans in opia veri! (q) Ecce ille servus fugiens Dominum suum, & consecutus umbram. O putredo! ô monstrum vitae, & mortis profunditas! (r) Nunc ecce redeo æstuans & anhelans ad fontem tuum. Nemo me prohibeat; hunc bibam, & tunc vivam. Tu me alloquere, tu mihi sermocinare; ô Veritas, lumen cordis mei! non tenebræ meæ loquantur mihi. Credidi libris tuis; & verba eorum arcana valde. (s) Cognoscam te Domine cognitor meus, cognoscam te virtus animæ meæ. Da cor, quod te cogitet; animum, qui te diligit; mentem, quæ te recolat; intellectum, qui te intelligat; rationem, quæ tibi semper summo delectabili fortiter adhæreat. Verbum Dei, recrea me.

(o) Id. l. 7 confes. c. 10. [p] L. 10. confes. c. 41. (q) L. 3. confes. c. 6. (r) L. 2. conf. c. 2. (s) L. 12. conf. c. 10..

## 118 CONSIDERATIO VII.

Lumen æternum, illustra super animam servit tui: ut te intelligat, cognoscat, & diligit. Ob hoc enim non te diligit Dominus, si te non diligit, quia non te cognoscit: & te ideo non cognoscit, quia non intelligit. Et idcirco non intelligit, quia lumen tuum non comprehendit, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenduntur. O lux mentis, ô lucens veritas! ô vera charitas! quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Venientem quidem, sed non diligentem: quia qui diligit mundum, inimicus Dei constituitur. Expelle tenebras desuper faciem abyssi mentis meæ: ut videat te intelligendo, ut cognoscat te comprehendendo, ut diligit te cognoscendo. Quisquis enim cognoscit te, diligit te, se obliviscitur, amat te plusquam se: relinquit se, & venit ad te, ut gaudeat de te. Hinc est ergo Dominus, quod non tantum diligo te, quantum debeo: quia non plenè cognosco te; sed quia parum cognosco, parum diligo: & quia parum diligo, parum in te gaudeo. (t) O Dominus

(t) Solit. c. 1.

## STUDIUM VERITATIS 119

Verbum, O Deus Verbum ! qui es lux, per quam facta est lux ; qui es via, veritas, & vita : in quo non sunt tenebrae, error, vanitas, neque mors. Lux, sine qua tenebrae ; via, sine qua error ; veritas, sine qua vanitas ; vita, sine qua mors. Dic verbum Domine, fiat lux, ut videam lucem, & vitam tenebras ; videam viam, & vitam invium ; videam veritatem, & vitam vanitatem ; videam vitam, & vitam mortem. ( u ) Scrò cognovi te, Veritas antiqua ; serò te cognovi, Veritas æterna : tu eras in lumine, & ego in tenebris, & non cognoscebam te ; quia illuminari non poteram sine te, & non est lux extra te. ( x ) O Veritas, Veritas ! quam intimè etiam tunc medullæ animi mei suspirabant tibi Teipsam, te Veritas, esuriebam & sitiebam. ( y ) Gratias tibi ago, illuminator meus & liberator meus, quoniam illuminasti me, & cognovi te. ( z ) Sine tua luce, non est veritas : adeo error, adeo vanitas : non est discretio, adeo confusio : adeo ignorantia ; non est scien-

( u ) Solil. c. 4. ( x ) Solil. c. 33. ( y ) L. 3.  
conf. c. 6. [ z ] Solil. c. 33.

120 CONSIDERATIO VII.

tia : adeſt cœcitas ; non eſt viſio ;  
adeſt invium ; non eſt via : adeſt mors ;  
non eſt vita. (a) Ubi inveni verita-  
tem , inveni Deum meum , ipsam ve-  
ritatem , quam ex quo didici , non  
ſum oblitus. Hæ ſunt ſanctæ delitiae  
meæ. (bb) Beata quippe vita eſt gau-  
dium de veritate. Hoc eſt enim gau-  
dium de te , qui veritas es , Deus il-  
luminatio mea , ſalus faciei meæ , Deus  
meus. (cc)

III. Potens eſt Domine , & veritas  
tua in circuitu tuo , (a) canit Prophetæ  
tuus , qui & justum in te ſperantem iſta  
tuā veritate veluti ſcuto circumdandum af-  
firmat : Scuto circumdabit te veritas  
eius. (b) Quæ verba doctè expendens  
Bellarmiñus : (c) Si , inquit , inter tam  
varia mundi pericula , inter haſtas &  
gladios tutus incedere cupis , in om-  
nibus actionibus & negotiis tuis , tam  
in rebus proſperis , quam in adverſis ,  
ſume clypeum veritatis , conſule littre-  
ras Dei , non audias voceſ hominum  
mendacium & adulatorum , qui di-  
cunt malum bonum , & bonum ma-

(a) Solil. c. 3. (bb) L. 10. Conf. c. 24. (cc) Ibid. c. 23.  
(a) Ps. 88. (b) Ps. 90. (c) Concione 5. in Ps. 90.

STUDIUM VERITATIS. 122

lum ; amarum dulce , & dulce amarum ( Isa. 5. ) : qui magni faciunt res parvas , & res magnas contemnunt.... Hinc enim omnes nostri errores nascuntur , quod non justo pondere res aestimamus.... Sume igitur clypeum veritatis , consule librum Dei , qui omni mendacio atque adulatione vacat. Quid Scriptura , quid veritas dicit ? Nullum esse malum valde me tuendum , nisi peccatum & gehennam : nullum esse bonum nimis appetendum , nisi Deum & virtutes , &c. *Isto* veritatis clypeo muniti prodierunt prodeuntque bodie innumeri Christi pugiles , prompti ad cresque in arenam , adversus Dei , salutis Ecclesiæ hostes , certando intrepidi , clarique relatis de vanitate , de mendacio vitoriis. *Isto* scuto , ut alios omittam , circumdati erant Seraphici Augustinus & Franciscus , continenter animo , ore frequenter , Veritati suspirantes , Noverim te , Deus æterna Veritas , noverim me ! Ex orantis & à terra cubitis aliquot elevati , ac splendoribus Sanctorum undequaque collucentis S. P. Ignatii ore , auditæ sunt hæ voces cum singultu fusæ identidem : O Deus !

F

122 CONSIDERATIO VII.

O Domine ! si te homines noscent !  
Deus , amor cordis mei ! (d) omniaque  
ejus viri verè magni secundùm nomen  
suum , maximi in salutem electorum  
Dei ( ut de ipso B. Ignatio coram Cardi-  
nalibus pronuntiavit Gregorius xv. , quod  
præstantissimo duci Josue adscribunt  
divina oracula Eccli. 46. ) (e) omnia ,  
inquam , ejus consilia eō tendebant , ut  
mortaliū animis abactā vanitate , veritati  
cognitionem & amorem instillaret foveretque .  
Docuit & ipsa æterna Veritas S. Cathari-  
nam Senensem sponsam sibi longè charissi-  
mam , Veritatis notitiam , quæ in Dei sui  
que cognitione consistit , clypeum esse im-  
pervium adversus omnia tela nequissimi .  
(f) Scisne , inquit Christus Virginī illi spu-  
etabilis , scisne , filia , quæ tu es , &  
quis ego sum ? si hæc duo noveris ,  
beata eris . Tu enim es illa , quæ non  
es : ego autem sum ille qui sū . Si hæc no-  
titiam habueris in anima tua , nun-  
quam decipere te poterit inimicus ,  
omnesque laqueos ejus evades : nun-  
quam consenties alicui rei contra man-  
data mea , omnemque gratiam , om-

[d] P. Nadasi An. dier. memor. 31. Iulij. (e) P.  
Bartoli de vita S. Ignatii l. 4. n. 14. (f) Eph. 6.

STUDIUM VERITATIS. 123

nemque veritatem , omnemque charitatem absque difficultate acquires. (g)  
Quare merito infert alicubi (h) Augustinus,  
Hæc est ergo tota scientia magna hominis , scire quia ipse per se nihil est;  
& quoniarn quidquid est , à Deo est,  
& propter Deum est. Et B. Laurentius Iustinianus dicere solitus erat , Veram  
hominis scientiam esse , scire hæc duo,  
scilicet Deum esse omnia , & se nihil.  
(i) Scientia isti & veritatis acquisitioni stu-  
ducre insignes illi viri , qui erudiendo orbi  
Christiano quæ voce , quæ calamo fulserunt;  
ut adhuc monui consideratione præcedenti;  
(k) eamque in rem lumen à prima aeternâq;  
Veritate poscebant & impetrabant frequentâ  
oratione. Quo in genere præclarum est S.  
Francisci monitum , datis ad celeberrimum  
doctrina & sanctitate Antonium ( cui postea  
Patavini cognomen additum est ) litteris ,  
quibus patiebatur illum inter suos docere  
Theologiam. Placet mihi , quod sanctæ  
Theologiæ litteras Fratribus interpre-  
teris , ita tamen , ut neque in te  
neque in ceteris ( quod vehementer  
cupio ) extinguitur sanctæ orationis

F ij

(g) Vita S. Caibar. Sen. n. 92. apud Henschen. 30.  
Apr. (h) in ps. 70. (i) Vita cap. 9. (k) pun. 3.

## 124 CONSIDERATIO VII.

spiritus juxta regulam , quam profitemur. (<sup>l</sup>) Memorabile est , quod de Francisco Suarez maximi illo nominis Theologo referatur. (<sup>m</sup>) Studium orationis frequentissimum in eo extitit , & flagrantissimum , quod nullus unquam litterarum , aut aliorum negotiorum tumultus interturbaret , ejus unius horarum omnium in suas cujusque curas partitionis beneficio , quam ipse matrem spiritus vocabat. Preter Deum suum ( ita loquebatur ) suosque libros , suum præterea agnoscebat nihil. Ceterum affirmabat interdum , si è duabus altera necessitas imponeretur , vel solitam ritu Societatis orandi horam , vel quæsitam tot annorum labore scientiam amittendi , æquiori laturum animo hujus quam illius jacturam. Addebat semihoram manè pensò precationis aliorum , & vespere horam integrum ; interdiu si quis incidisset nodus in studiis , confugium habebat orationis ad Deum , pro ejus explicatione : quæsi esset abstrusior , Deiparam quoque Virginem consulebat. Fuit cùm altissi-

(<sup>l</sup>) wading. Ann. Minor. an. Chr. 1222. n. 33.(<sup>m</sup>) Alegambe Biblioth. Script. Societ.

STUDIUM VERITATIS. 125

mâ sublimium rerum in speculatione  
defixus , nullo excitantium strepitu ad  
se revocari posset. Fuit cùm duos ab  
humo cubitos sublimis , splendissimos  
lucis radios à Christi pendentis effigie  
in se vibratos , toto vultu ac pectore  
exciperet. Hinc doctrinae soliditas ; altissima , cum summâ doctrinâ , sui infra omnes  
demissio , Deiq<sup>z</sup> amor ferventissimus ; actus  
prævii ad beatificam illam , quâ in cœlis  
revelatam in se Veritatem possidebimus , co-  
gnitionem ; præ quâ verè dixit S. Bernar-  
dus in egressu animæ apparens Guilielmo de  
monte Pessulano : Nulla hic scientia ,  
nulla veri cognitio : sursum scientiæ  
plenitudo , sursum vera notitia veri-  
tatis. (n) Nimirū Cùm apparuerit similes  
erimus: (o) Scilicet ( addit S. Thomas )  
(p) omnia scientes , sicut qui haberet li-  
brum , ubi esset tota scientia , non  
quæreret nisi ut sciret illum li-  
brum ; sic & nos non oportet am-  
plius quærere nisi Christum. Christus  
enim est veritas ; (q) in eo gratia om-  
nis viæ & veritatis , omnis spes vite

F iij

[n] Vitæ l. 5. c. 3. (o) 1. Ioan. 3. (p) lect. 1. in  
Coloss. 2. (q) 1. Ioan. 5.

226 CONSIDERATIO VII.

& virtutis. (r) Rectè ergo Christianus quispiam cecinit :

Qui Christum nescit, sat scit si cetera nescit :

Qui Christum nescit, nil scit si cetera noscit. (s)


Ad illam noritiam studium tuum unicè confer, studiose Lector, te ipsum incusans atque incitans cum S. Dorotheo, (t) si fortisegnior sis in illa adipiscenda, quam in scientiis etiam profanis : Si tantus labor, tantusque fervor fuit tibi in adipiscenda eloquentia ( & scientia humana ) quanto major tibi nunc adhibenda est cura, ut veras virtutes ( & veram sapientiam ) acquirere valeas. Qua quidem cogitatione valde animatum se scribit idem Dorotheus : Et hac re non modicas vires accepi. Eadem & tu cogitatione haud parum proficies in veritatis cognitione & juxta illam conformatio[n]e vita, opera complebis, quod didiceris, cum S. Edmundo, qui cùm adhuc Theologię operam daret, libros quos habebat, omnes distraxit: pretiumque in studiosos impes Parisiis erogavit. Mirantibus ce-

(r) Eccl. 24. (s) apud Corn. à Lapide in 13. sap. v. I. (t) doctrin. 10. vid. Rodrig. p. 1. tr. 1. c. 15.

## STUDIUM VERITATIS. 127

teris , cur præter omnium morem , codices necessarios venderet , uni ex iis causam sciscitanti , & stultitiam objicienti , respondit : Quò plura novimus , eò plura facere debemus . Ego verò hos codices distrahens , parum feci , minusque quàm debui . (u)

(u) Vite n. 11. apud Sur. 16. Novemb.



## CONSIDERATIO VIII.

### MUNDI VANITAS.

**U**niversa vanitas ( sive , universitas vanitatis ) omnis homo vivens . (a) Etenim in imagine ( seu , ex vi vocis hebraeæ , in umbra , hoc est , instar umbra , & cum ambris , quas amat ) pertransit homo : sed & frustra conturbatur , (b) pro rebus temporariis & transitoriis hujus mundi , quibus nullâ duratione , nullâ stabilitate frui possit . (c) Præterit enim figura hujus mundi , (d) ait Apostolus ; ostendens quod humanorum quodlibet in figurâ tantum , & velut

F iiiij

(a) Ps. 38. [b] Ibid. (c) Titelman. ibi. (d) 1 Cor. 7.

## 128 CONSIDERATIO VIII.

umbra , & somnium , præterabitur ,  
 nihil habens verum , nihil stabile . Quo-  
 modo igitur non puerilis sit mentis ,  
 circa umbras attonitos esse ? & in som-  
 niis altum sapere , & in his tabes-  
 cere , quæ paulò post transeunt ? (e)  
 Ideò mundana quasi non sint , æstiman-  
 da sunt : (f) Et ex ejusdem Apostoli  
*sapientissimo monito* : Qui utuntur hoc  
 mundo , tanquam non utantur . (g)  
 Nolite ergo , ait S. Anselmus , (h) con-  
 stanter mundum diligere : quando ipse  
 quem diligitis , non potest constare .  
 In cassum cor quasi manenter figitis ,  
 dum fugit ipse quem amat . Sed , ut  
 monet sapienter Esdras , Fugite umbram  
 sæculi hujus . (i) Phantasia nempe est ,  
 quod tantoperè ostentat & jactat mundus :  
 quo quidem vocabulo ipsi Graci exprimunt ,  
 quod nos apparatus , splendorem , pom-  
 pam , ostentationem appellamus , ut doctri-  
 observant atque declarant Scriptores nostri ,  
 Lorinus in Acta , & Heribertus in librum  
 primum de vitis Patrum : unde etiam quod  
 latinus Interpres Actorum cap. 25 . vertit ,  
 cum multâ ambitione : græcè leges ,

(e) S. Chrysost. hom. 39. ad Pop. (f) S. Thom. is-  
 illum loc. Cor. (g) Ibid. (h) Ibi. (i) 4. Esdr. 2.

## MUNDI VANITAS. 129

cum multa phantasiâ. (k) En , quæ tanto studio , tantâ curâ , tanto salutis etiam æternæ dispendio , amant , querunt , servare satagunt mundani homines , fantasias , vanitates , mendacia , falsitates , insanias fallas. Beatus , inquit merito Psaltes regius , (l) qui non respexit in vanitates & insanias fallas , mendaces , fallentes , seducentes. Similiter , qui non accepit in vano animam suam , (m) hoc est , interprete S. Augustino , (n) qui non in rebus non permanentibus deputavit animam suam ; sed eam immortalem fentiens , æternitatem stabilem atque incommutabilem desideravit. Contrà verò miratur alibi & deflet idem Psalmographus fatua hominum studia : Filii hominum , usquequò gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem , & queritis mendacium ? (o) Quod mendacium ? ( interrogat ; & respondet Augustinus ) Mundum. Non vultis esse gravi corde , qui terreno mendacio oneratis cor vestrum ? Volentes beati esse , eas res queritis , unde miseri fitis. (p) Verè vana spes , & menda-

(k) vid. Franc. Le Roy Porticu Salom. dissert.

4. c. 2. (l) Ps. 39. [m] Ps. 23. (n) Ibi. (o) Ps.

4. (p) Serm. 141. de Temp.

## 230 CONSIDERATIO VIII.

cium viro insensato : & somnia extollunt ( *sive* , *ex græco* , volare faciunt ) imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram , & persequitur ventum ; sic & qui attendit ad visa ( *ex græco* , ad *Somnia* , *res vanas* ) mendacia. (q) Qui nititur mendaciis ( *rebus vanis* & *mendacibus* , *quales sunt mundanae* ) hic pascit ventos : idem autem ipse sequitur aves volantes. (r) O quam vana & inutilia ea hominum negotia & studia, quæ in humanis rebus suscipiuntur ! (s) Vanitas vanitatum , & omnia vanitas : (t) *Syrus* , Inanitas inanitatum, & omnis res inanitas ; *Alii* , Nihilum nihil & omnia nihil. (u) Vidi cuncta quæ fiunt sub sole , & ecce universa vanitas. (x) Itane verò non solum vana , & inania sunt mundana omnia , sed & vanitas ipsa , & inanitas , & nihilum , & nihilum nihil ? Sic omnino . Omnia ista carnalia , inquit *Dionysius Carthusianus* . (y) & transitoria , & mundana , tot vitiis , & poenis , tot instabilitatibus , atque miseriis , tot fallaciis , & peri-

(q) *Ecli.* 34. (r) *Prov.* 10. [f] *Gregor. Thal-*  
*maturg. in Eccle.* 1. (t) *Eccle.* 1. (u) *Vid. Pinedam*  
 & *corn. à Lapide ibi.* [x] *Eccle.* 1. (y) *in istum*  
*Loc. Eccle.*

## MUNDI VANITAS 131

culis, tot ignorantibus, inquietudinibus, laboribus, itemque doloribus sunt repleta; ut aptius dici valeant vanitas ipsa quam vana.... Imò non solum possunt dici vanitas ipsa, sed & vanitas vanitatum, ut magnitudo ac multitudo vanitatis eorum insinuentur; sive, ex Gregorio Nysseno, (z) ut ostendatur inseparabilis in vanitate exuperatio; ex Chrysostomo, (aa) vanitas per excellentiam. Filii hominum, imò per gratuitam divinamque adoptionem, Filii Dei, Nolite declinare post vana quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. (bb) Oremus cum Psalte Regio: Averte oculos meos, ne videant vanitatem, sive, ut Chaldaeus verit, falsitatem, seu mendacium: in via tua vivifica me. (cc) Declinandi enim à vanitate sunt oculi, inquit Hilarius, (dd) ut nobis in via Dei vita sit: erigendi oculi sunt, quibus Christi potius gloria, quam mundi hujus inanis & vana, cernatur.

II. Mundus transit, & concupiscentia ejus. (a) Et tu pariter transibis,

(z) hom. I. in Eccle. [aa] hom. 55. ad Pop. (bb)

I. Reg. 12. (cc) Ps. 118. (dd) In istum locum.

(a) 1. Ioan. 2.

•32 CONSIDERATIO VIII.

& amici tecum omnes , (b) & omnia  
que vanè mundus nuncupat , & stultè repu-  
tat bona ; apud Deum autem nec rem , nec  
nomen habent , nisi quod ex ejus spiritu  
pronuntiavit sapientissimus Ecclesiastes , his  
verbis , ut ait Gregorius Thaumaturgus ,  
universam Dei Ecclesiam affatus ; Va-  
nitas vanitatum. (c) Vanum enim id  
quod vacuum est , dicitur ; quod no-  
men quidem habet , rem vero ipsam  
non habet ; (d) cui proinde non Deus ,  
sed homo splendidum at mendax vocabulum ,  
dedit : Illa autem , quibus homo voca-  
bula dedit , transitoria sunt. (e) In  
istis umbra , imo & vanitas est. (f)  
Propterea B. Paulus dicebat scribens :  
Præterit enim figura hujus mundi ( I.  
Cor. 7. ) Cùm igitur audieris quòd  
transit , quid amplius jam quæris ? Cùm  
audieris quòd figura tantum sunt om-  
nia humana , veritate carentia : qua-  
re sponte deceptionem sustines , nec  
eorū mutabilitatē cogitās & instabilitatē ,  
hæc quidem prætercurris : ad illa vero  
desiderium non trāsfers in æternum ma-  
nentia , immota , stabilia , mutationem nō

(b) Th. à Kemp. hort. Ros. c. 2. (c) Eccle. 1. (d)  
Basil. in Ps. 4. & chrysost. ibid. (e) Rupert. in Ge-  
nef. l. 1. c. 28. ( f ) Ibid. c. 18.

MUNDI VANITAS. 133

admittentia? (g) Credamus, quæso, Apostolo Paulo: Præterit figura hujus mundi. (h) Figuram hujus mundi appellavit, commonefaciens omnes hujus mundi res oculos tantum attingere, oculorumque pabulum esse, atque superficiem quandam fluxam, nihil stabile aut subsistens habentem. (i) Salomoni, quæso, credamus, & res apprehendamus, in quibus non est vanitas, sed veritas; ubi cuncta firma sunt atque stabilia; ubi sunt omnia supra petram ædificata; ubi senectus non est, neque transitus; ubi florent omnia, omnia vigent; ubi nihil veterascens, senescens nihil, nihil perditio ni proximum. (k) Quis est adeò excors, ut querat nomina, quæ rebus destituuntur? & persequatur inania, quæoportet fugere? Nonne omnia mentiuntur, & decipiunt? Ideò dixit Ecclesiastes, Omnia vanitas. (l) Quia (ut utar iis similitudinibus, quibus olim usus est S. Barlaam, ut Iosaphato Regis filio vanitatem & instabilitatem bonorum,

(g) Chrysostom. hom. 39. ad Pop. (h) 1. Cor. 7. (i) Theophyl. ibi. (k) Chrysost. hom. 55. ad Pop. (l) Idem in Ps. 4.

## 134 CONSIDERATIO VIII.

*qua mundus appellat, declararet* )  
*Primò, non secus ac pulvis à turbine, ad alios atque alios subinde perflantur, & vicissim jactantur. Secundò, aut fumi instar desfluunt. Tertiò, ac velut insomnium homines ludificantur. Quartò, atque ut umbra retineri nequeunt. Ac denique ita naturā comparata sunt, ut nec cùm absunt, ea se habituros homines desperent; nec cùm adsunt, possidentibus certa & stabilia sint.* (m)  
*Temporalia vana sunt, quia non continent solidum bonum.* (n) *Omnia humana metus, risus, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus, navis vestigium, aura, pulvis.* (o) *Omnia imaginaria in sèculo, & nihil veri.* (p) *Adhuc paululum, & ecce mundus transit, ac scena dissolvitur.* (q) *In momento enim terrena cuncta prætereunt; & saepe honor sæculi abiit, antequam venerit: quid enim sæculi potest esse diuturnum, cùm sæcula ipsa diurna non sint?*  
(r) *Non ergo istos (qui mundi vin-*  
(m) S. Damasc. in vita Barlaam & Iosaphat c. 15.  
(n) S. Thom. in Ps. 4. (o) Gregor. Naz. Carmine de vita itineribus. (p) Tertull. de corona militis c. 13. (q) Gregor. Naz. orat. 17. (r) Ambr. l. 4. in Luc. c. 4.

## MUNDI VANITAS. 135

culis alligati sunt ) stolidiores multò ,  
quām parvulos judicem , quos pueri-  
lis ludus , ubi aut circulus volvitur ,  
aut turbo vel trochus verberibus agi-  
tatur , & longis porticibus per curva  
spatia rotatur , ita intentos & inhiantes  
tenet , ut avelli inde nullatenus queant ,  
ignorantes penitus per ætatis fragilita-  
tem , nihil in illo ludo utilitatis , nihil  
perfecti operis haberi ? &c. (f) Quo-  
usque solo reptamus ? Quousque lu-  
dimus ? & utinam tantummodò lu-  
deremus ! Nunc autem & nostram  
prodimus salutem. Et sicut pueruli  
cūm in his studium agunt , litteris ne-  
glectis , multa sustinent verbera : sic &  
nos in his ( terrenis ) omne studium  
impudentes , extremam dabimus ul-  
tionem. Hæc omnia quidem transi-  
bunt , ex his autem oriens tortura ma-  
net immortalis atque continua. (t) Ut  
quid ergo temporalium rerum amore  
detinemini ? Ut quid tanquam prima ,  
extrema sectamini : quod est vanitas &  
mendacium ? Cupitis enim permanere  
vobiscum , quæ omnia transeunt tan-

(f) Chrysost. hom. Quod nemo Lreditur nisi à  
scipso. [t] Idem. hom. 47. ad Pop.

## 136 CONSIDERATIO VIII.

quam umbra. (u) Non diligamus vissibilia spectacula , ne ab ipsa veritate aberrando , & amando umbras, in tenebras projiciamur. (x) Omnes amatores mundi , omnes inquisitores nugarum. (y) O ! qui scintillam haberet veræ charitatis , profectò terrena sentiret esse plena vanitatis. (z) Sed nos infantium insensatorum more viventes, (aa) fugientem mundum sequimur, labenti inhæremus : & quia labentem retinere non possumus , cum ipso labimur , quem labentem tenemus. (bb) Sapientius deinceps ; Relinquamus umbram , qui solem quærimus ; desramus fumum , qui lumen sequimur. (cc) Ad æterna præelectos peritura non occupent ; transienda sunt fortiter , non amplectenda nequiter. (dd) Transitoria ista quæ stare tibi nullo pægo queunt , fac ut à te transeant , non per te. (ee) Nonne hæc omnia sicut umbra prætereunt ? Nonne hæc omnia

(u) August. in Ps. 4. [x] Idem de vera Relig. c. 55. (y) Beda in Ep. Iacobi c. 4. (z) Tho. à Kemp. de Imit. l. 1. c. 15. [aa] Sap. 12. (bb) Gregor. hom. 28. in Evang. (cc) Ambros. de fuga sæculi c. 5. (dd) S. Leo Serm. 2. de Ascensione. (ee) Bernard. l. 4. de considerat.

vif.  
ritat-  
s, in  
ama-  
uga-  
veret  
sen-  
l nos-  
ntes,  
nur,  
item  
la-  
(bb)  
um-  
cra-  
aur.  
non  
er,  
ran-  
eo  
non  
cut  
nia  
g. c.  
mp.  
gor.  
culi  
(ee)

fabula? Nonne sæculi thesaurus, vanitas est? (ff)

III. Sufficit ipsa experientia ad nos docendos, quam nullius pretii sint res praesentes. Ubi Nemrod fastus? ubi Nini inclytum nomen? ubi Assuëri supra viginti septem provincias dilatata sedes? ubi Cyri tot laboribus comparata gloria? ubi Crœsi immensum aurum? & cetera vanitatis exempla, quæ patheticè coacervat, terminatq[ue] hac Sapientis gnomâ, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, Ascanius Martinengus in Genes. (a) Insigne vanitatis mundi spectaculum habes in Flavio illo Eutropio, Arcadii Imperatoris præpotente Eunucio, qui rebus subito motu conversis, consulatu, gratiâ, potentiâ, fortunis omnibus, libertate, vitâ denique, carnificis manu, privatus est. Ipso eodem praesente, cum militum & civium, ipsiusque Arcadii iras ac strictos enses metuens, ad Ecclesiam profugisset, ac sub altari trepidus delitesceret, aureum illud Eloquentiae græca flumen Chrysostomus, (b) consenso suggestu, hinc quasi abruptè exorsus est. Si unquam anteà, nunc maximè licet

(ff) Ambros. l. 6. Hexam. c. 8.

(a) apud corn. à Lapide in Eccle. 1. v. 2. (b) Serm. in Eutropium tom. 5.

## 138 CONSIDERATIO VIII.

dicere , Vanitas vanitatum , omnia  
vanitas. Ubi nunc inclytus ille con-  
fusatūs splendor ? ubi illustres illæ fa-  
ces ? ubi applausus illi ac choreæ ,  
epulæque & festi conventus ? ubi co-  
ronæ & aulæa ? ubi strepitus urbis ,  
& illæ Circensium spectatorum fausta  
acclamations atque adulations ? Om-  
nia illa perierunt. Procella vehemens  
folia dejecit , arborem spoliatam redi-  
dit , jam radicitus vacillantem , &c.  
Omnia illa nihil nisi nocturnum som-  
nium fuerunt , appetente die evan-  
cens : flores fuerunt verni ; vere exac-  
to emarcuerunt omnia. Umbra erant ,  
& præterierunt : fumus erant , & so-  
luta sunt : bullæ erant , & dirupta  
sunt : araneæ erant , & lacerata sunt.  
Quapropter spirituale hoc dictum occi-  
nimus, indesinéter dicétes: Vanitas vani-  
tatum , omnia vanitas. Universam illam  
mundanarum rerum ac merissimam vanita-  
tem non est quod petitis longè argumentis  
pergam tibi ulterius demonstrare , mi-  
letor : quovis loco , tempore , statu , nullo  
negotio , etiam ad nauseam & fastidium ,  
deprehendis ; atque utinam intimo veritatis  
sensu detesteris , crebro usurpans brevem

## MUNDI VANITAS. 139

quidem illam , at nervosam Ecclesiast& gno-  
men , Vanitas vanitatum &c. cum  
splendidissimo illo Prædicatorum Parente Do-  
minico , qui ubique privatim & publicè  
magna libertate & spiritu , omnes , etiam  
magnates , ad sacerduli contemptum , & Christi  
omorem excitabat. (c) Sebastianus Barra-  
dius Ecclesiastes celeberrimus , & vita san-  
ctimoniam clarissimus , de caducarum re-  
rum contemptu tantâ contentione di-  
cebat , ut uno anno fama sit sexagin-  
ta , & in iis nobilissimos Juvenes , &  
doctissimos Cathedrarum candidatos  
Franciscanorum dumtaxat ordinem  
ambivisse. (d) Nicolaus Tolentinas , ad-  
huc Canonicus , cum prædicantem in pla-  
tea Priorem ordinis Eremitarum S. Augus-  
tini audivisset , inter alia hanc Ioannis sen-  
tentiam allegantem : Nolite diligere mun-  
dum , neque ea quæ in mundo sunt,  
transit enim mundus , & concupiscen-  
tia ejus ; ita permotus est , ut mox à con-  
cione in præclarum illum Ordinem ingressum  
petierit , & impetrarit , toto deinceps orbe  
sanctitatis ac miraculorum famâ celeberrimi-  
mus. (e) S. Amatus Presbyter & Abbas

(c) in vita S. Dominici. (d) Alegambe Biblioth.  
Societ. (e) apud Surium in ejus vita 10. Septemb.

## 140 CONSIDERATIO VIII.

Romaricum virum nobilem brevi hoc sermo-  
ne ad meliorem vitam mundi<sup>q</sup> contemptum  
perduxit : Quot , putas , habuit domi-  
nos seu possessores discus hic tuus ar-  
genteus , in mensâ appositus ? Hunc  
cundem tu quoque resignabis alteri ,  
& ille rursum alii : quare unus iste  
discus quot dominos sepelivit? (f) S. Sal-  
vius Episcopus à morte raptuque in cælum ,  
Dei jussu remissus ad corpus , quasi ex gravi  
somno experrectus , convocatis omnibus ex-  
clamavit : Audite , ô dilectissimi , &  
intelligite , quia nihil est quod cerni-  
tis in hoc mundo , sed sunt juxta id  
quod Salomon Propheta cecinit , Ora-  
nia vanitas . Felix est , qui ea agere  
potest in sæculo , ut gloriam Dei me-  
reatur in cœlo . Quocirca vitam deinceps  
in magna sanctitate exegit , uti fuse nar-  
rat oculatus & auritus testis Gregorius Iu-  
ron . (g) Lotharius , Occidentis imperio  
quindecim annis justè & piè adminis-  
trato , recordatus , ut creditur , ser-  
monis , quem Ludovicus ipsius pater  
moriens habuerat , de mundi vanitate ,  
quam scilicet ipse quoque experiendo

(f) Vita S. Amati 13. Septemb. (g) Lib. 7. Histor.  
c. 1.

## MUNDI VANITAS. 141

cognorat, humana omnia deserere constituit, atque ex illis imperii fluctibus in portum se religiosæ quietis recipere. Quamobrem, mirante orbe ter-  
tarum, in Premensi ( Pruniacensi, ex Baronio ) monasterio se conclusit, ubi reliquam vitam transegit in paupertate & obedientia. (h) Serenissimus Princeps Carolus à Lotharingia, probè attentâ rerum gravi-  
tate, nobilissimos familiae titulos, opes, atque adè ipsum Episcopale pedum dimisit, ut in minimâ IESV Societate securius aeternitati vacaret, assumpto illo jam inde ab adolescenti aetate, alteq[ue] menti impresso lem-  
mate, sapienti dicto, Mortale nihil immortali animo. (i) Eorum tu, & aliorum innumerorum sensa induere, Christiane Lector; vanitatem sperne: ne seriùs olim in morte, aut ( avertat Deus optimus ) apud inferos cum infeliciſsimis mundi amatoribus, quibus sola, & eterna vexatio intellectum dabit, (k) frustra defleas cœ-  
titatem cordis tui & insipientiam. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tran-

(h) Platus de bono stat. Relig. l. 2. e. 26. (i) P. de Lidel libro gallico, Theologia sanctorum, vol. 2.  
Par. 1. (k) Isa. 28.

## 142 CONSIDERATIO VIII.

sierunt omnia illa tanquam umbra , & tanquam nuntius percurrens , & tanquam navis , quæ pertransit fluctuantem aquam ; cuius , cùm præterierit non est vestigium invenire , neque semitam carinæ illius in fluctibus : aut tanquam avis , quæ transvolat in aëre , &c. Sic & nos continuò desivimus esse ; & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere : in malignitate auctem nostrâ consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi , qui peccaverunt , (l) qui ambulaverunt post vanitatem , & vani facti sunt , (m) amando volatrica ludibria temporum & lucrum luteum , & amplectendo murdum fugientem. (n) O prima summaque veritas , veraque soliditas , solida charitas , chara æternitas , Deus meus & omnia , da ut nulla nos moveat vanitas , nec vana inanitas , nec inanis carnalitas , nec carnalis fugacitas ; sed totos nos ad se rapiat tua veritas veraque felicitas. (o).

(l) Sap. 5. (m) Ierem. 2. (n) August. l. 5. conf. c. 12. (o) cornel. à Lapide in Eccle. 1. v. 2.

CONSIDERATIO IX.

*MUNDANA OMNIA , NIHIL.*

**L**abor stultorum (*amatorum mundi*) affliget eos. (a) Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius. (b) Quid mirum? In circuitu ambulant; (c) semper ambientes bona hujus mundi, & nunquam ad finem desideriorum suorum pervenientes: (d) Quia ad centrum (*Deum*) non tendunt; (e) neque ad viæ, id est, vitæ nostræ finem, nempe *Deum*. Sed ambulant in temporalium rerum cupiditate, quæ septem dierum repetito circuitu, tanquam rota volvitur: & ideo non perveniunt in Octavum, id est, in æternum, pro quo iste psalmus intulatus est. Ita & per Salomonem dicitur (*Prov. 20. v. 26.*) Ventilator enim impiorum est rex sapiens, & immittit illis rotam malorum. *Ita s.*

[a] *Eccle. 10.* (b) *Ps. 106.* (c) *Ps. 11.* (d) *Bellar.*  
ibi. (e) *Caietan.*

## 144 CONSIDERATIO IX.

Augustinus. (e) Noster verò Interpres verit: Dissipat impios Rex sapiens ( Deus ) & incurvat super eos fornicem; rotæ scilicet, id est, canthum seu extitnam superficiem & curvaturam rotæ, ut ex Segunda & Chaldaeo explicitat noster Thomas le Blanc. (f) Vnde Dominus miluit in medio ejus ( mandani populi ) spiritum vertiginis: (g) & præcordia ( græcè, viscera, id est, intimæ cogitationes & affectiones ) fatui sicut rotæ carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius. (h) Quò fit, ut ejusmodi insipientes corde, continuâ mundi ( cuius mancipia sunt ac velut jumenta, certè jumentis insipientibus similes facti) (i) volubilitate circumrotati, miserrimâ vertigine laborantes, laborent plurimum, at in vanum, & in vacuum: faciant opus instabile, seu ex Hebræo, opus mendacii; (k) nihilque apprehendant quām mendacium, (l) inanitatem, nihileitatem. Quid enim aliud apprehendant, qui diligunt vanitatem, & quærunt mendacium? (m) Quid, quām nihil capiant, totâ nocte, inq. den-

(e) in Ps. 11. (f) in Ps. 11. n. 71. (g) Isai. 19'

(h) Eccli. 33. (i) Ps. 48. (k) Prov. 13. [l] Jerem. 8. (m) Ps. 4.

des  
qu  
lin  
ti  
su  
ta  
le  
lo  
oc  
su  
m  
fa  
nè  
D  
qu  
qu  
de  
rib  
cad  
in  
nie  
sun  
cor  
nih  
na  
enij

densissimis mundi tenebris laborantes, (n)  
 quiq<sub>z</sub> in semetipsis (*ut verbis S. Pauli loquar*) (o) pistrini ergastulum patiuntur? Considera, (*inquit idem Præfatus Nolanus*) hujusmodi mortalium vitam, & tota tibi species jumenti molentis occurrat. Ut ille pannis oculos corporis, sic iste sordibus vitae suæ oculos mentis obsutus, per errores suorum sensuum, quasi circa ambages molarum, laboriosâ miser statione versatur, usui suo vacuus. (p) Unde bene quoque per Psalmistam dicitur: Deus meus pone illos ut rotam: (q) quia in circuitu laboris missi, dum ea quæ antè sunt, negligunt, & ea quæ deserenda sunt, sequuntur, ex posterioribus elevantur, & in anterioribus cadunt: (r) apparentque ante Dominum, in morte, & judicio, vacui, nihil inventes in manibus suis. Et tamen (quæ summa est ejusmodi insensatorum dementia) confidunt in nihilo (in rebus vanis & nihili, ex S. Thoma, quales sunt mundane) & loquuntur vanitates. (s) Quid enim aliud loquantur, nisi quo animus ple-

## G

(n) Luc. 5. (o) Ep. 4. ad Sever. (p) Ibid. (q)  
 Ps. 82. (r) Gregor. moral. lib. 16. c. 25. (s) Isa. 59.

## 146 CONSIDERATIO IX.

nus est ; imò verius , inanis est , quia plenus inanitatibus ? Et in illo nihilo lætantur ; ( t ) quasi in egregio operæ admodum laboriosa & pretio . Audi vel ex ipsis mundi servis , quantum laborent . Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis ; & ambulavimus vias difficiles . ( u ) Quis spes ? quâ mercede ? Vacua est spes illorum , & labores sine fructu , & inutilia opera eorum . ( x ) Fructus illorum inutiles , & ad nihilum apti . ( y ) Quoniam spes impii tanquam lanugo est , quæ à vento tollitur : & tanquam spuma gracilis , quæ à procella dispergitur : & tanquam fumus , qui à vento diffusus est : & tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis . ( z ) Qui tot momentanearum rerum exempla congescit , ( verba sunt Damiani ) non tam vile quid esse omnem mundanam gloriam , quam nihil esse signavit . Atque istam eorum , quibus curram omnem & laborem addixerant , inanitatem & nihileitatem agnoscunt infelici mundani , deflentque , postquam dormierunt somnum suum , ( aa ) turbati

( t ) Amos . 6 . ( u ) Sap . 5 . ( x ) Sap . 3 . ( y ) Sap . 4 .  
( z ) Sap . 5 . ( aa ) Ps . 75 .

## MUNDANA NIHIL. 147

more horribili, & præ angustia spiri-  
tus gementes, seque insensatos procla-  
mant; apertis post mortem oculis, videne  
ac fatentur, nihil omnino sibi profuisse  
superbiam, nihil divitarum jactantiam  
contulisse sibi: transiisse omnia illa  
tamquam umbram.... (bb) Dormie-  
runt somnum suum: & nihil inve-  
nerunt omnes viri divitarum in ma-  
nibus suis. (cc) Toto tempore vitæ  
hujus, quasi sopore gravi dormierunt,  
somniantes se divites & beatos esse:  
sed ubi per mortem evigilaverunt;  
(pœna enim aperit oculos, quos cul-  
pa clauserat) tunc intellexerunt bona  
hujus vitæ non vera bona, sed ludi-  
bria somniantum fuisse, & ex iis ni-  
hil sibi remansisse nisi vermem con-  
scientiæ, & pœnæ sempiternæ reatum.  
(dd) Nempe mundana omnia, somnium  
sunt. Velut somnium surgentium; (ee)  
seu, ut Chaldaeus commodè vertit: sicut  
somnium ab homine ebrio, qui ex-  
pergefit à somno suo. In quem locum  
Theodoretus, Scena, inquit, præsentis  
vitæ ab insomnio nihil differt. Et i-

G ij

(bb) Sap. 5. (cc) Ps. 75. (dd) Bellarm. ib. (ee) Ps. 72.

## 148 CONSIDERATIO IX.

terum Psalmista : Quæ pro nihilo ha-  
bentur , eorum anni erunt. (ff) Deni-  
que Sophar Naamathites , amicus Iobi , a-  
gens de hypocrita ( de mundano ) verissime  
pronuntiat : Velut somnium avolans,  
non invenietur : transiet sicut visio  
nocturna. (gg) Quin & ipse mundi ase-  
ola , cùm habere se aliquid , imò multum,  
putat & gloriatur , se nihil habere vel  
nescius clamat : Dives sum , & inveni  
idolum mihi. (hh) Scimus autem quia  
nihil est idolum in mundo. (ii) Vnde  
Sapiens : Est quasi dives , cùm nihil  
habeat. (kk) Quod exponens Hugo Car-  
dinalis : Est , inquit , quasi dives , sed  
non verè dives : quia tantum dvitias  
hujus mundi habet , cùm nihil habeat ,  
apud Deum.

I I. Arabum Christianorum anti-  
quus celebratur rhythmus : Mundus  
est minimum de minimis ; & qui ei  
serviunt , minus sunt minimo. (a) Et  
tamen beatos se putant , quia beatos se som-  
niant. Omnes istæ felicitates quæ vi-  
dentur sæculi , somnia sunt dormien-

(ff) Ps. 89. (gg) Job. 20. (hh) Osee 12.  
(ii) 1. Cor. 8. (kk) Prov. 13.  
(a) P. le Blanc in Ps. 89. n. 22.

MUNDANA NIHIL. 149

tium. Et quomodo qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est; sed evigilabit, & pauper erit: sic omnia ista vana hujus saeculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent. Evigilabunt quando nolunt, si non modo evigilant quando utile est; & invenient somnia illa fuisse, & transisse, sicut dicit Scriptura, velut somnium exurgentis, Ps. 72. (b) Fac hominem in somnis videre se invenisse thesauros, dives est, sed donec evigilet. Veluti somnium exurgentis, sic defecerunt quomodo somnium evigilantis. Quæritur igitur, & non est: nihil est in manibus, nihil est in lecto. Pauper dormierat, dives in somnis factus fuerat. Si non evigilasset, dives esset. Evigilavit, invenit ærumnam, quam dimiserat dormiens. Et isti non invenient miseriam, quam sibi comparaverant? Cum evigilaverint de hac vita, transit illud omne, quod quasi somno tenebatur veluti somnium exurgentis. (c) Amaverunt præsentia, & dormierunt in ipsis præsentibus: & sic illis facta sunt ipsa

G iij

(b) Augustin. in Ps. 131. (c) August. in Ps. 72.

150 CONSIDERATIO IX.

præsentia delitiosa ; quomodo qui videt per somnium invenisse se thesauros , tamdiu dives est , quamdiu non evigilet . Somnium illud divitem fecit , evigilatio pauperem fecit..... Tales sunt & isti . Venerunt in hanc vitam , & per cupiditates temporales quasi obdormierunt hic ; & excepterunt illos divitię , & vanæ pompæ volatice , & transierunt.... Dormierunt in cupiditatibus suis : delectat illos , transit somnus iste , transit vita ista ; & nihil invenerunt in manibus suis , quia nihil posuerunt in manu Christi .

(d) Mirandum est valde quod dicitur , Dives cum dormierit , aperiet oculos , & nihil inveniet . Job 27. Ut dormiamus quippe , oculos claudimus , & evigilantes aperimus . Sed hac in re , quia homo ex anima constat & corpore , cùm unius rei somnus dicitur , alterius vigiliæ demonstrantur : quia cùm corpus obdormiscit in morte , tunc anima evigilat in vera cognitione . Et dormit ergo dives , & oculos aperit : quia cùm carne moritus , ejus anima videre cogitur , quod pro-

(d) August. in Ps. 75.

## MUNDANA NIHIL. 151

videre contempsit. Tunc profectò in  
vera cognitione evigilat, tunc nihil  
esse conspicit quod tenebat. Tunc se  
vacuam invenit, quæ plenam rebus  
præ ceteris se hominibus esse lætaba-  
tur. Dormit, & nihil secum aufert:  
nihil nimirum de rebus quas tenuit.  
Nam culpa rerum simul ducitur, quam-  
vis hic omnia, pro quibus culpa per-  
petrata est, relinquuntur. Eat ergo  
nunc, & acceptis rebus tumeat, se-  
què super ceteros extollat, glorie-  
tur se habere quod proximus non ha-  
bet. Veniet quandoque tempus, ut  
evigilet: & tunc cognoscat quām  
vanum fuerit, quod in somno tenue-  
rat. (e) Brevis est hujus mundi glo-  
ria, caduca & fragilis temporalis po-  
tentia. Dic ubi sunt Reges, ubi  
Principes, ubi Imperatores, ubi locu-  
pletes rerum, ubi potentes sæculi,  
ubi divites mundi? Transferunt quasi  
umbra; velut somnium evanuerunt;  
quæruntur, & non sunt. (f) Somnia  
enim sunt magistratus, opes, poten-  
tia, fastus, voluptatum impostura,

G iij

(e) Gregor. l. 18. moral. c. 12. (f) Isidor.  
Hispal. in Synonym.

152 CONSIDERATIO IX.

gloriæ cupiditas , vita delicata , ambi-  
tio, &c. (g) Omnis potentia sæculi,  
sommum ; non veritas est. (h) Pulchre  
& verè cecinit Poëta Christianus , Livinus  
Brechtus in Euripo : (i)

Luxus , delitiæ , pompaque sæculi ,  
Fasces , nobilitas , stemmata , purpura ,  
Nomen , divitiæ , fluxaque gloria ,  
Ecquid sunt aliud quam breve som-  
nium ?

Imò ista humana , umbrâ sunt obscu-  
riora , & somniis fallaciora. (k) Fu-  
giamus ergo hinc , ubi nihil est ,  
ubi inane est , quod magnificum pu-  
tatur esse : ubi & qui se putat aliquid  
esse , nihil est , & omnino non est.  
(l) Appetamus , ut aliquando tandem adi-  
piscamur bona Ierusalem , bona cœlestia :  
Illa enim bona sunt , quia æterna sunt .  
Ista verò ( inferiora ) bona sunt & non  
sunt : non enim stant ; labuntur &  
fluunt. (m) Illa consequi studeamus ,  
ista contemnamus : nōnne frequenter  
ea damnamus : quoniam nihil est hu-  
mana vita ? Quid circa nihil laboras ?

(g) Gregor. Nyssen. hom. 11. in Cant. (h) Am-  
broſ. lib. de Ioseph c. 6. [i] Apud P. Mangotium  
part. monit. 43. (k) Basil. ep. 42. (l) Ambroſ.  
de fuga sæculic. 5. (m) August. in Ps. 127.

## MUNDANA NIHIL. 153

(n) Noli expavescere divitias & potentia  
divitis, & gloriam sacerdalem, quo-  
niam caduca illa sunt, & citius a-  
beunt, quam venerunt. Somnium est  
iste thesaurus: evigilas, & recessit.  
Quoniam qui potuerit crapulam mun-  
di istius edormire, & sobrietatem vir-  
tutis assumere, ista contemnit. (o)

III. Mundanarum rerum ( si tamen res  
dicenda sunt, quae umbra instar & somni  
evanescunt ) inanitatem ac nihileitatem,  
stylo & experientia notavit Regum sapien-  
tissimus, cum eodem capite (a) inter repe-  
titas illas voces, quibus omnia vanitatem  
pronuntiat, sic de se loquitur: Ego Ec-  
clesiastes fui Rex Israël in Jerusalem.  
Quid illud, Fui? cur non, sum? Neque  
enim, dum ista scriberet, nudatus regno  
erat. Sed quia in omnibus vidi vani-  
tatem, & nihil permanere sub sole;  
(b) non se Regem esse, sed fuisse profite-  
tur, nihili faciens, immo nihil esse testatus,  
ut nihil est, quod præteriit. Fui, jans  
non sum: quia etsi sum, id ipsum  
jam nihil agnosco quod sum. (c) Eo-

G v

(n) Chrysost. hom. 55. ad pop. (o) Ambr. in  
Pf. 48.

(a) Eccle. 1. (b) Eccle. 2. [c] Hugo Victor. hom. 5.

## 154 CONSIDERATIO IX.

dem animi sensu, ejus Parens, quamvis omnibus mundi bonis circumfluere videretur, tamen pauperem se ac nihil habentem non semel proclamat. Id quod doctè advertit S. Basilius (cc) expendens illud Ps. 9. Factus est Dominus refugium pauperi. Sæpenumerò, ait, seipsum pauperem & egenum vocat, tametsi regiis esset præditus facultatibus: sciebat enim omnia humana umbrâ quavis esse imbecilliora. Ita sentiebat & Moyses, qui à Philone Hebræo (d) inducitur loquens cum Rege terreno Edom, ad quem legatos miserat ut per ejus terram transire liceret, (e) & rationem reddens cur ab omnibus ejus bonis abstineret. Nam ista, inquit, tibi chara, omnino nihil sunt. An putas mortalem rem ullam verè esse ac subsistere: & non tanquam in suggesto quodam ab inani & incertâ opinione sustineri, non aliter quam somniorum ludicra? Somnia igitur sunt, umbra, nihil, mundana omnia. Quod ex ipsis Qui est, (f) primi & veri Entis, testimonio manifestum accipe. Si quid, inquit Christus Veritas, (g) petieritis

(cc) In Ps. 9. (d) Lib. Quodl Deus sit immutabilis  
 (e) Num. 20 (f) Exod. 3. (g) 1. Ioan. 5.

## MUNDANA NIHIL. 155

Patrem in nomine meo, dabit vobis.  
Usque modò non petistis quidquam.  
(h) Ergóne aliquid quod nihil sit, peti  
potest? Potest utique. Nihilne petierant  
duo illi discipuli Iacobus & Ioannes, qui  
in regno Christi, ut ipsi putabant, tem-  
porali, primos honores postularant? (i.)  
Nihil planè. Audi sapientissimum primæ  
Veritatis Discipulum Augustinum, utrum-  
que illud exponentem. Solum, inquit,  
(k) bonum spirituale æstimari debet  
aliquid. Quidquid autem aliud peti-  
tur, nihil petitur: non quia nulla  
omnino res est; sed quia in tantæ  
rei comparatione, quidquid aliud con-  
cupiscitur, nihil est. Non petistis  
quidquam: quoniam in comparatione  
rei, quam petere debuistis, pro nihilo  
habendum est quod petistis. Ut  
igitur in ejus nomine non nihil, sed  
gaudium plenum petant: quoniam si  
aliquid aliud petant, idem aliquid ni-  
hil est.... Hinc vide, mi Christiane, an  
aliquid in nomine Christi petieris, & ac-  
ceperis? An mundana omnia ut nihil pro  
nihilo habeas? Certè mundialis gloriae ina-  
nitatem suggescit Christus inculcandam suo

(h) Ioan. 16. (i) Marc. 10. (k) Tract. 102. in  
Ioan.

## 156 CONSIDERATIO IX.

*in terris Vicario, dum ad solemnem ejus inaugurationem, stuprâ coram ipso accensa & subito evanescente, non semel occlamat, Sic transit gloria mundi. Eadem vanitatis & nihileitatis memoriam docto calamo expressit sapientia clarissimus Iustus Lipsius, Serenissimum Albertum, cui librum suum De magnitudine Romanâ dedicabat, sic allocutus: (l) Quid enim illa omnia nunc, aut ubi sunt? abierunt. Ubi supra fidem cumulatae opes? defluxerunt. Ubi cœlo certantia opera? non apparent. Heu res mortalium vel maximorum paruae! heu validissimorum instabiles! imò omnia illa somnium, umbra, nihil, si cum Æterno & Æternitate comparantur. Neque, quam mundi vanitatem stylo vivus demonstrarat, mortuus silere voluit: etiam à morte, mortales omnes doceret mundi contemptum, Inscriptionem verè Philosophicam (Dei Philosopho dignam) tumulo appendendam, paucis ipse versibus biennio ante obitum complexus fuerat, (m) En illam.*

*Quis hic sepultus, quæris? ipse edifferam.*

(l) In dedicat. (m) In ejus vita.

MUNDANA NIHIL. 157

Nuper locutus & stylo & lingua fui;  
Nunc altero licebit. Ego sum Lipsius,  
Cui litteræ dant nomen, & tuus favor:  
Sed nomen. Ipse abivi. Abibit hoc  
quoque:

Et nihil hic orbis, quod perennet,  
possidet.

Vis altiore voce me tecum loqui?  
Humana cuncta, fumus, umbra, va-  
nitas,

Et scenæ imago, &, verbo ut absolu-  
vam, NIHIL.

Lege viator, lege mortalis; & quæ  
mundus stultè magna & maximi putat,  
tu sapiens nihil & nihilī aestima. Nihil  
regna, nihil mundana alia omnia esse, ex-  
pertus Philippus tertius Hispaniarum Rex,  
moriturus cygnea voce dixisse fertur:  
Nihil confert regem esse, nisi ut in  
morte cruciet, fuisse. (n) Idem à pue-  
ro inanitatem illam observarat, cùm ab eo  
comiter rogatus Pater inter venandum, ut  
ingruentem pluviam suo imperio susteret,  
respondisset, superioris illud esse potestatis:  
tum siquidem ingenuus Puer, qui de Pa-  
tris potentia plurimum inaudierat, Itáne  
verò, inquit, ô Pater, tam parvam

(n) Mendoza in l. 1. Reg. c. 2. fine.

158 CONSIDERATIO IX.

rem præstare non potes ? quid si aliud  
aliquid majus postulassem ? Jam planè,  
te nihil posse , comperio. ( o ) Cane  
ergo, quisquis hæc & similia paxim legis de  
mundi inani & nihilo ; cane , inquam,  
cum doctissimo illo Rhythmographo : ( p )

Quid ergo, quid morarum

Mundi traho per atria ?

In valle lacrymarum ,

In vanitatis patriâ ?

Ubi officina mentis,

Phantasticâ propagine ,

Ipsum nihil , sub entis

Verique fert imagine.

Ubi summa veritatis

Hæc est : quòd hoc palatum

Plenumque inanitatis ,

Verumque sit mendacium.

( o ) Erythræus exemplo 74. ( p ) Gualter. Paullus  
Scalæ Alæ grad. 2. rhythm. 16.





## CONSIDERATIO X.

VNUM BONVM , OMNE BONVM.

I. **M**ichi autem adhærere Deo bonum est. (a) Hoc est totum bonum. Vultis amplius ? Doleo volentes. Fratres , quid vultis amplius ? Deo adhærere nihil est melius. (b) Qui autem adhæret Deo , unus spiritus est : (c) in Deo manet , & Deus in eo. (d) Verè beatus , cuius Dominus Deus ejus , (\*) solus bonus , (e) omne bonum ; (f) atque adeò , Dei unius boni & omnis boni amore & possessione , unum est cum Deo ipso , & ipse Deus mirabili & amabili planè consortio. Talis enim est quisque , qualis ejus dilectio. Terram diligis ? Terra es. Deum diligis ? quid dicam ? Deus es. Ego dixi , inquit, Dii estis. (Ps. 81.) (g) Ne igitur dederis cor tuum vanitati,

(a) Ps. 72. (b) Augustin. ibi. (c) 1. Cor. 6. (d) 1. Ioan. 4. (\*) Ps. 143. (e) Luc. 18. (f) Exod. 33.  
(g) August. in 1. Ioan. hom. 2.

## 160 CONSIDERATIO X.

neque dispergas animam tuam in multis. Unum namque necessarium est (Luc. 10.) & quidquid extra illud appetitur, inane est. Deus enim unum est, in quo est omnium bonorum, & pulchrorum, ac desiderabilium plenitudo. (b) Ipse est, qui replet in bonis desiderium tuum. (i) Bonum tuum quære, ô anima. Nemo bonus, nisi unus Deus (Marc. 10.) Summum bonum, hoc est bonum tuum. Quid ergo deest, cui summum bonum bonum est? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. (k) Quale bonum? omnis boni bonum, unde omne bonum: bonum, cui non addatur quid sit nisi ipsum bonum. Bonum simplex; ipsum bonum, ex quo cuncta sunt bona. (l) Quale bonum, quis dicat? Ecce non possumus dicere, & non permittimur tacere. Ergo si non possumus dicere, & præ gaudio non permittimur taceare, nec loquamur, nec taceamus. Quid ergo faciemus, non loquentes & non tacentes? Jubilemus. Jubilemus Deo salutari nostro (Ps. 94.)

(b) Dion. Caribus. præcordiali. [i] Ps. 102,  
(k) August. ibi. (l) Idem in Ps. 26,

UNUM, OMNE BONUM. 161

Jubilate Deo omnis terra. (Ps. 97.)  
Quid est, Jubilate? Deferte vocem  
ineffabilem gaudiorum vestrorum, &  
ructate in eum lætitias vestras. (m)  
Ergo, *Anime mi, dic Deo tuo, dic sum-  
mo bono tuo*, Ecce cognovi, quoniam  
Deus meus es. (n) Magna scientia,  
magnæ divitiæ cordis, magnum lu-  
men oculi interioris, magna fiducia  
securitatis: Ecce scivi quia Deus meus  
es tu. Noli extra eum aliquid ab eo  
quærere, ipse tibi sufficit. Quan-  
tumvis sis avarus, sufficit tibi Deus.  
Etenim avaritia terram quærebat pos-  
sidere totam, adde & cœlum; plus  
est qui fecit cœlum & terram. (o)  
Excelsior cœlo est: (p) Terra autem  
scabellum est pedum ejus. (q) Ideò pe-  
nitùs ardens Dei sui amore Psaltes David,  
cœlo ipso superior, canit: Quid enim  
mihi est in cœlo, & à te quid volui  
super terram? Defecit caro mea, &  
cor meum: Deus cordis mei, & pars  
mea Deus in æternum. (r) Eligant a-  
lli militiam, alii advocationem, alii  
diversas variasque doctrinas, alii ne-

(m) Idem in Ps. 102. (n) Ps. 55. (o) Augustin.  
ibid. (p) Iob. 11. (q) Matth. 5. (r) Ps. 72.

## 162 CONSIDERATIO X.

gotiationem, alii agriculturam. Itas  
partes sibi faciant de rebus humanis;  
clamet populus Dei, Pars mea Deus  
meus. Non ad tempus pars mea, sed  
pars mea Deus in saecula. Aurum  
etsi semper habuero, quid habeo?  
Deum si semper haberem, quam mag-  
num bonum haberem? Huc accedit,  
quia Deus seipsum mihi promittit,  
& id me in aeternum habiturum pro-  
mittit. Tantum habeo, & nunquam  
non habeo. Magna felicitas pars mea  
Deus. Quamdiu? In saecula. Quo-  
modo? Ecce vide quomodo illum a-  
mavit. Fecit cor castum, Deus cor-  
dis mei. Gratis jam amatur Deus.  
Non ab illo petitur aliud præmium.  
Qui aliud præmium petit a Deo, &  
propterea vult servire Deo, carius  
facit quod vult accipere, quam ipsum  
a quo vult accipere. Quid ergo?  
Nullum præmium Dei? Nullum præ-  
ter ipsum. Præmium Dei, ipse Deus  
est. Hoc amat, hoc diligit. (f) Ip-  
sum solum amat, gratis amat, quia  
in ipso habet omnia, quia per ipsum  
facta sunt omnia. (t) Excita te nunc

(f) August. in Ps. 72. vers. 25. (t) Idem in  
vers. seq.

## UNUM, OMNE BONUM. 163

Istas  
anis;  
Deus  
a, sed  
arum  
eo?  
mag-  
edit,  
ittit,  
pro-  
juam  
mea  
Quo-  
m a-  
cor-  
Deus.  
ium.  
&  
arius  
sum  
go?  
præ-  
Deus  
Ip-  
quia  
sum  
unc  
anima mea, & erige totum intellectum tuum, & cogita quantum potes, quantum & quale sit illud bonum, quod Deus est. O ! qui hoc bono fruetur, quid illi erit, quid illi non erit ? (u) Habent & hæc ima delectationes : sed non sicut Deus meus, qui fecit omnia ; quia in ipso delectatur justus, & ipse est delitiae rectorum corde. (x) Idcirco super omne aurum, & argentum, & lapidem pretiosum, es mihi charior, Deus meus. (y) Deus meus es tu, & confitebor tibi : Deus meus es tu, & exaltabo te. (z) Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : faciem tuam Domine requiram. (aa) Satiabor, cum apparuerit gloria tua. (bb) Intererâ, ad te, Domine, levavi animam meam : (cc) Sitivit in te anima mea. (dd) Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te Deus. (ee) Qui autem bibet ex aqua, quam tu dabis ei, non sitiet in æternum. Domine da mihi

(u) *Idem Manual. c. 33.* (x) *L. 2. Confess. c. 5.*

[y] *Solil. c. 19.* [z] *Pf. 117.* (aa) *Pf. 26.* (bb)  
*Pf. 16.* (cc) *Pf. 24.* (dd) *Pf. 62.* (ee) *Pf. 41.*

## 164    CONSIDERATIO X.

hanc aquam. (ff) Da mihi te, Deus meus. Hoc scio, quia malè mihi est præter te, non solum extra me, sed & in meipso; & omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est. (gg) Sic beatus Apostolus dicit, Et erit Deus omnia in omnibus (1. Cor. 15.) Avare, audi me: Quid tibi sufficit, si Deus tibi non sufficit? (hh)

II. Redite prævaricatores ad cor (Isa. 46,) & inhærete illi qui fecit vos. State cum eo, & stabitis. Requiescite in eo, & quieti eritis. Quò itis in aspera? quò itis? Bonum quod amatis, ab illo est. Sed quantum est ad illum, bonum est & suave. Sed amarum erit justè, quia injustè amatur deserto illo, quidquid ab illo est. Quò vobis adhuc & adhuc ambulare vias difficiles & laboriosas? Non est requies, ubi quæreritis eam. Quærere quod quæreritis: sed ibi non est, ubi quæreritis. Beatam vitam quæreritis in regione umbræ mortis: Non est illuc. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita? (a) Clarè Isaias, Iudeos alloquens,

(ff) Ioan. 4 (gg) August. l. 13. Confess. c. 8.

(hh) Idem ad fratres in Eremo serm. 50.

(a) August. l. 4. Confess. c. 12.

UNUM, OMNE BONUM. 165

ab uno & summo bono ad terrena sese a-  
vertentes : Popule meus , qui te bea-  
tum dicunt , ipsi te decipiunt , & viam  
gressuum tuorum dissipant. (b) Et  
Psaltes regius : Beatum dixerunt popu-  
lum , cui hæc ( terrena , prospera sæculi  
hujus , quæ proximè antè enumeraverat )  
sunt. (c) Sed qui dixerunt ? interrogat  
Augustinus ; (d) & respondet verbis ejus-  
dem prioris Psalmi : Filii alieni , quo-  
rum os locutum est vanitatem. (e) Quid  
autem veridicus , quid sapiens David ? Bea-  
tus populus , cuius Dominus Deus e-  
jus. (f) Ad illum igitur properemus,  
in quo est summum bonum. Ipse  
est , de quo clamat Amos Propheta  
( cap. 5. ) Exquirite Dominum. Ipse  
est summum bonum , qui nullius in-  
diget , & abundat omnibus. (g) O a-  
nima mea , quid occuparis circa plu-  
rima supervacuè , & semper in his  
eges ? Intende , & ama hoc unum  
optimum bonum , in quo omne bo-  
num , & sufficit. (h) Avare , ecce ha-  
bes omnia. Omnia quæ amas , ut  
non impediaris à Christo , contemne ;

(b) Isa. c. 3. (c) Ps. 143. (d) In Ps. 55. (e) Ps.

143. (f) Ibid. (g) Amb. lib. 3. epist. ep. 11.

(h) Albert. Magn. de adhærendo Deo c. 9.

## 166 CONSIDERATIO X.

& ipsum tene, in quo possis omnia possidere. (j) Quem possidendi delectat ambitio, Deum qui possidet omnia quę creavit, expeditā mente posse deat, & in eo habebit, quæcumque habere sanctè desiderat. (k) Attende Deo, anima mea, attende tibi. Tale bonum est Deus, ut nemini eum deserenti benè sit; & in rebus à Deo factis, tam magnum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum quo beata sit, nisi Deus. (l) Amato, quod amando carere nequeas, id est, Deum, (m) Excute mentem, exerce avaritiam tuam, prætende quantum potes, & dilata cupiditatem tuam; non quicunque, sed Omnipotens dixit, Pete quod vis..... Nihil invenies carius, nihil invenies melius, quam ipsum qui fecit omnia. Ipsum pete, qui fecit; & in illo & ab illo habebis omnia quę fecit. Omnia cara sunt, quia omnia pulchra sunt: sed quid illo pulchrius? Fortia sunt: sed quid illo fortius? Et nihil magis vult dare quam se. Si aliud inven-

(i) August. to. 10. hom. 34. [k] Prosper l. 2. <sup>de</sup>  
vita contempl. c. 16. (l) August. de natura boni  
c. 7. (m) Guigo Carthus. meditat. c. 17.

## UNUM, OMNE BONUM. 167

ris melius , pete. Si alia petieris,  
injuriam facies illi , & damnum tibi,  
preponendo illi quod fecit, cùm ve-  
lit seipsum tibi dare , qui fecit. In  
hoc amore dixit illa anima quedam :  
Tu es pars mea Domine. Eligant si-  
bi, qui volunt , quid possideant ; fa-  
ciant sibi partes de rebus : Pars mea  
tu es ; te elegi. (n) Cur ergo per  
multa vagaris homuncio , querendo  
bona animę tuę & corporis tui ? Ama  
unum bonum , in quo sunt omnia  
bona ; & sufficit. Desidera simplex  
bonum , quod est omne bonum ; &  
satis est. Quid enim amas caro mea ?  
quid desideras anima mea ? Ibi est,  
quidquid amas ; ibi est , quidquid de-  
sideras. (o) Cùm omnia non amentur ,  
nisi quia bona sunt ; pudeat hominem ,  
eis inhærendo , non amare bonum ip-  
sum , unde bona sunt. (p) Non enim  
monemus , ut nil ametis ; sed mone-  
mus , ne mundum ametis , ut eum ,  
qui fecit mundum , liberè ametis. O-  
bligata enim anima amore terreno ,  
quasi viscum habet in pennis , volare

(n) August. in Ps. 34 conc. I. (o) August. Ma-  
nual. c. 34. (p) Laur. Justinian. Lign. vite de  
Charit. c. 8.

## 168 CONSIDERATIO X.

non potest : (q) Quales impetus habebas ad mundum , tales habeas ad artificem mundi. Num vobis dicitur, Nihil ametis ? Absit. Pigri , mortui, detestandi , miseri eritis , si nihil ametis. Sed quid ametis , videte. (r) O Deus cordis mei ! ô pars mea Deus in æternum ! (s) Quidquid mihi praeter illum est , dulce non est. Quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum , & se mihi det. (t) Ecce Deus meus , & omnia. Quid volo amplius , & quid felicius desiderare possum ? O sapidum & dulce verbum , sed amanti Verbum , non mundum , nec ea quæ in mundo sunt, Deus meus & omnia ! Intelligenti satis dictum est , & sæpè repetere jucundum est amanti &c. (u) Utinam Deus solus occuparet interiora tua ! (x) Solus Deus explebit desiderium tuum : in solo Deo veram requiem invenies. (y) Beatus sanè cœsses , si toto corde dicere posses : O quantum

(q) August. in ps. 121. proœmio. (r) Aug. in ps. 31. Prefat. (s) Ps. 72. (t) August. in ps. 26. (u) Th. à Kemp. de imit. l. 3. c. 34. (x) Lud. Blofius Parad. anim. fidel. p. 1. c. 14. (y) Id. ibid. c. 15.

tum bonum possideo, cùm Deus meus,  
qui mihi magis est ego, quàm ego  
ipse sim; adeò immensam gloriam,  
immensaque bona possidet! nam il-  
lum revera pro meo magis habeo ac  
teneo, quàm unquam quidquam ha-  
bui & tenui. (z) O utinam verè cum  
Psalte regio dicere Deo possum, Tuus sum  
ego. (aa) Facilis vox & communis  
videtur, sed paucorum est. Satis ra-  
rus est enim, qui potest dicere Deo,  
Tuus sum. Ille enim dicit, qui ad-  
hæret Deo totis sensibus, qui aliud co-  
gitare non novit. Ille hac voce utitur,  
qui potest dicere Domino, Ostende  
nobis Patrem, & sufficit nobis. (Joan.  
14.).... Qui verè dicit: Tuus sum;  
audit à Domino, Meus es. (bb)  
Portio mea Domine. (cc) Cui por-  
tio Deus, totius possessor est naturæ. (dd)  
Omnia de nihilo qui fecit, is omnia  
solus:

Quod Deus ex nihilo fecit, id om-  
ne nihil.

### III. Inquirentes Dominum non H

(z) Id. facelli anime p. I. §. 3. (aa) Ps. 118.  
(bb) Ambros. in Ps. 118. Serm. 12. (cc) Ps.  
118. (dd) Ambros. ibi serm. 8.

## 170 CONSIDERATIO X.

minuentur omni bono. (a) Id est: non habebunt minus quam omne bonum, scilicet Deum, qui erit omnia in omnibus (1. Cor. 15.) (b) Quia rem querunt infinitam, quae major est ipsorum desiderio, juxta illud 1. Joan. 3. Major est Deus conde nostro: ii non minuentur omni bono, quia summo bono inharentes, in eo habent omnia bona. (c) Audi unum ex illis inquirentibus Deum, & adharentibus Deo, Tobiam seniorem, documenta, quibus filium sancte instruebat, sic concludentem: Noli timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene. (d) Audi Apostolum: Sicut egentes, multos autem locupletantes. (e) Cum hoc diceret, nihil habebat Apostolus: omnia sua dimiserat, nullas diuitias possidebat. Et quid secutus ait? Quasi nihil habentes: & ipsum nihil habere, quasi Apostoli erat. Et omnia possidentes. Ibi non dixit, quasi. Quasi

(a) Ps. 33. (b) Hugo Cardin. ibi (c) Bellarm. ibi  
(d) Tob. 4. (e) 2. Cor 6,

VNUM, OMNE BONUM. 171

egebat; non autem quasi, sed verè  
multos ditabat. Quasi nihil habebat;  
non autem quasi, sed verè omnia  
possidebat. Vnde verè omnia posside-  
bat? Quia omnium Creatori adhære-  
bat. (f) Qui vult ergo esse dives,  
non hæcat parti, & totum possidebit:  
illi inhæreat, qui totum creavit. (g)  
Ita S. Ignatius Martyr, omnibus terrenis  
nudus, uni Christo, summo bono adhære-  
bat. Nunc incipio, inquit, Christi esse  
discipulus, nihil de his, quæ videntur,  
desiderans. (h) Sic S. Paulinus omnia  
bona in se habuit, quia Christum  
amavit. (i) Et ipsemet scribens Severo:  
Veni, inquit, ad nos, & si potes, ad-  
vola. Nihil habemus, nisi Christum.  
Et vide, si nihil habeamus, qui Chri-  
stum habemus. (k) Divitiæ meæ, in-  
quiebat S. Ludovicus, Christus: desint  
cetera; omnis copia qnæ Deus meus  
non est, mihi inopia est. S. Francisco  
Assisiati familiaria erant hæc verba, &  
longæ contemplationis materia, Deus meus,  
& omnia. S. Patri Ignatio in ecstasi fre-

H ij

(f) August. in Ps. 48. conc. 2. (g) Id. ibid.  
conc. 1. (h) Ep. ad Rom. (i) Vranius apud  
Sur. 22. Iun. (k) Ep. 5.

## 172 CONSIDERATIO X.

quentes erant hæ voces: Domine, quid  
volo, aut quid velim extra te, Deus  
cordis mei, & pars mea Deus in  
æternum? S. Franciscus Paulanus si-  
uni adhærebat summo bono, ut nihil nisi  
eius charitatem spiraret animus, cor eruc-  
zaret. B. Magdalena de Pazzis summi il-  
lius boni amorem vehementissimè cupiebat,  
contentâ voce in omnes orbis partes, inque  
ipsos inferos pretendere. Magno Indiarum  
Apostolo, Francisco Xauerio, solus suffi-  
ciebat Deus; quo sic replebatur, ut tu-  
nicâ de more ab æstuanti pectori mi-  
nibus diductâ, hanc identidem vo-  
cem iteraret, Sat est Domine; sat est.  
Nec minus Deo suo plenus erat S. Phi-  
lippus Nerius, cuius cor tanto summi  
illius boni æstuabat ardore, ut cùm in-  
tra fines suos contineri non posset,  
illius sinum, contractis atque elatis  
duabus costulis, mirabiliter Dominus  
ampliauerit. In uno Deo omne & sum-  
mum bonum consistere, præclare docuit, &  
re ipsa professus est Angelicus Doctor Thomas:  
Neapoli cùm ad imaginem Crucifixi  
vehementius oraret, hanc vocem au-  
diuit: Benè scripsisti de me, Thoma,  
quam ergo mercedem accipies? Cui  
ille: Non aliam Domine, nisi te ipsum.

VNUM, OMNE BONUM. 173

Mercedem enim uero dignam Deo remun-  
ratore, dignam tantâ talis viri meritorum  
amplitudine; mercedem, de quâ Dominus  
Abraham: Ego merces tua magna  
nimis. (l) Idem petijt B. Ioannes Pennen-  
sis Ordinis S. Francisci: Apparens ei Chri-  
stus Dominus dixit: Fili mi, pete quod  
vis, & dabitur tibi. Cui Joannes:  
Domine nihil aliud volo præter te:  
Quid enim mihi est in cœlo, & à te  
quid volui super terram? (m) Tale de-  
bet esse desiderium nostrum, talis petitio.  
Desiderium nostrum ( iustorum ) om-  
ne bonum est: (n) Restat enim illis  
desiderandus Deus jam non amant  
terram: amant enim, qui fecit cœ-  
lum & terram; amant, & nondum  
cum eo sunt. Desiderium enim dif-  
fertur, ut crescat; crescit, ut capiat.  
Non enim parum aliquid datus est  
Deus desideranti; aut parum exer-  
cendus est ad capacitatem tanti boni.  
Non aliquid Deus quod fecit, datus  
est, sed seipsum qui fecit omnia. (o)  
Domine, Moysi desiderio æstuanti,

H iii

(l) Genes. 15. (m) Wading. Ann. Min. ad an.  
1271. n. 9. (n) Proverb. 11. (o) August.  
in Ps. 83.

174 CON. X. VNUM, OMNE BON.  
& oranti, ostendi sibi gloriam tuam,  
respondisti: Ego ostendam tibi omne  
bonum (Exod. 33.) Et, O Domine,  
ubi est omne bonum, nisi in vultu  
tuo? Unde & David eodem ardens de-  
siderio, Adimplebis me, inquit, lætitia  
cum vultu tuo (Ps. 15.) Ignosce,  
Domine, ignosce: impatiens est ad te  
cor meum, vultum tuum requiro,  
exquo faciem tuam semper; per  
temetipsum ne avertas faciem tuam à  
me. (Ps. 26.) (p) Confige, Dilecte  
mi, & transuerbera cor meum acutissi-  
mo dilectionis telo, ut ego amore  
tui salubriter langueam. Omnia transi-  
toria mihi vilescant; tu solus placeas,  
solus incomparabili pulchritudine me  
lætifices. (q) Vivit apud te semper  
bonum nostrum: & quia inde aversi  
sumus, peruersi sumus. Revertamur  
jam Domine, ut non auertamur: quia  
vivit apud te sine ullo defectu bo-  
num nostrum, quod tu ipse es. (r)  
Cùm inhæsero tibi ex omni me, nus-  
quam erit mihi dolor & labor; &  
viva erit vita mea, tota plena te. (s)

(p) Guilielm. Abbas in Meditat. (q) Ludov. Blo-  
sus Parad. an. fidel. par. 2. Endolog. amator. 4.  
(r) Aug. l. 4. conf. c. 16. (s) L. 10. confess. c. 28.

## CONSIDERATIO XI.

## INFELIX MVNDI FELICITAS.

**C**ontritio & infelicitas in viis eorum (a) (mundanorum.) Omnes enim malorum hominum viæ plenæ sunt labore & miseria. (b) Prosperitas stultorum perdet illos. (c) Non sanè ob aliud , nisi quoniam male securos reddit. (d) Cum enim dixerint, Pax & securitas , tunc repentinus eis superveniet interitus. (e) Impii autem quasi mare fervens , quod quiescere non potest ; & redundant fluctus ejus in conculationem & lutum. Non est pax impiis , dicit Dominus Deus. (f) Dicentes , Pax , pax ; cùm non esset pax. Confusi sunt , quia abominationem fecerunt : quinimò confusione non sunt confusi , & erubescere nec sierunt : idcirco cadent inter corruentes , in tempore visitationis suæ cor-

H iiiij

(a) Ps. 13. (b) August. ibi. (c) Prou. 1. (d) Bernard. serm. 39. in cant. (e) 1. Thessal. 5.  
[ ] Isai. 57.

## 176 CONSIDERATIO XI.

ruent , dicit Dominus. (g) Et tu Domine deridebis eos. (h) Propter hoc audite verbum Domini , viri illusores..... Dixistis enim : Percus-  
sumus fœdus cum morte , & cum in-  
ferno fecimus pactum. Flagellum inun-  
dans cùm transferit , non veniet super  
nos : quia posuimus mendacium spem  
nostram , & mendacio protecti sumus.  
Idcirco hæc dicit Dominus Deus. Ec-  
ce ego..... ponam in pondere judi-  
cium , & justitiam in mensura : & sub-  
vertet grando spem mendacii : & pro-  
tectionem aquæ inundabunt. Et dele-  
bitur fœdus vestrum cum morte , &  
pactum vestrum cum inferno : flagel-  
lum inundans cum transferit , eritis ei  
in conculcationem. (i) Væ filii deser-  
tores , dicit Dominus , ut faceretis  
consilium , & non ex me : & ordi-  
remini telam , & non per spiritum  
meum. (k) Væ qui cogitatis inutile.  
(l) Væ vobis divitibus , quia habetis  
consolationem vestram. Væ vobis qui  
saturati estis , quia esuriatis. Væ vo-  
bis qui ridetis nunc , quia lugebitis &  
slebitis. (m) Gaudium hypocritæ ad

[g] Ierem. 8 [h] Ps. 58. [i] Isa. 28. [k] Isa.  
30. [l] Mich. 2. [m] Luc. 6.

## INFELIX FELICITAS. 177

instar puncti. (n) Quia sicut stylus  
in punto dum ponitur, levatur: ita  
hypocrita presentis vitae gaudia dum  
tangit, amittit. (o) Audi Psalmographum.  
Inimici vero Domini mox ut honorifi-  
cati fuerint & exaltati, deficientes,  
quemadmodum fumus deficient. (p)  
Dejecisti eos dum allevarentur. (q)  
Non quasi posteaquam elevati sunt,  
dejecisti eos; sed in eo ipso quod e-  
levati sunt, dejecti sunt. Si enim ef-  
ferri jam cadere est, dejecisti eos dum  
extollerentur. (r) Quomodo facti sunt  
in desolationem, subito defecerunt.  
(s) Verè quomodo fumus, qui dum  
extollitur, deficit. (t) Defecerunt,  
sicut fumus, qui ascendendo deficit,  
& sepe dilatando evanescit. (u) Aut,  
si mavis, sicut rota est mundana felicitas;  
dum attollitur, deprimitur, & semper  
circumvolvit, cum ruit in præceps,  
nec ad punctum temporis confistere  
potest. (x) Hinc scriptum est, Deus  
meus pone illos ut rotam. (y) Rota

H v.

[n] Job. 20. (o) Gregor. ibi. (p) Ps. 36. (q)  
Ps. 72. (r) August. ibi. (s) Ps. 72. [t] Au-  
gust. ibi. (u) Gregor. l. 1. ep. 5. (x) Berllarm. in  
Ps. 82. (y) Ps. 82.

## 178 CONSIDERATIO XI.

quidem ex posteriore parte attollitur,  
& in anterioribus cadit. Posteriora  
autem nobis sunt bona præsentis mun-  
di, quæ relinquimus; anteriora verò  
sunt æterna & permanentia, ad quæ  
vocamur. Peccator ergo, cum in  
præsenti vita profecerit, ut rota po-  
nitur, quia in anterioribus corruens,  
**ex** posterioribus elevatur. (z) In illa  
autem ruinosa elevatione, in illâ sumi &  
umbræ mundialis apprehensione, quantis  
replentur vani homines miseriis, quantis  
lancinantur curis, quantis fodicantur solli-  
citudinum aculeis & spinis? Lege, quofo,  
**Ecclesiasten**, & deprehendes graphicè depi-  
ctam infelicem mundanorum hominum for-  
tem, nihil nisi merissimam esse vanitatem,  
& afflictionem spiritus. Spinæ sunt ex-  
positore ipso Christo, divitiæ & alia quæ  
mundus nuncupat bona; sollicitudo, fal-  
lacia; (aa) ærumnæ, deceptio: (bb)  
à quibus sollicitudinibus, & divitiis, &  
voluptatibus vitæ, cuntes, suffocan-  
tur, & non referunt fructum (cc)  
sæculi homines infeliciter felices (ut eos  
rectè appellat *Augustinus*) (dd) qui relin-  
quunt iter rectum, & ambulant per

(z) *Gregor. suprad.* (aa) *Matth. 13.* (bb) *Marc. 4.* (cc) *Luc. 8.* (dd) *In ps. 127.*

vias tenebrosas ; qui lætantur cùm  
malè fecerint, & exultant in rebus  
pessimis, (ee) similes illis, qui fortè  
sumentes exitiabiles herbarum succos,  
cum risu perire dicuntur. (ff) Noli,  
mi Christiane Lector, noli æmulari in  
malignantibus : neque zelaveris facien-  
tes iniquitatem. Quoniam tanquam  
fœnum velociter areſcent, & quem-  
admodum olera herbarum citò deci-  
dent. Noli æmulari in eo, qui proſ-  
peratur in via ſua. (gg) Proſperatur,  
ſed in via ſua : laboras, ſed in via Dei.  
Illi proſperitas in via eſt ; in perven-  
tione infelicitas : tibi labor in via, in  
perventione felicitas ; quoniam iter  
impiorum peribit. Novit Dominus  
vias iuſtorum, & iter impiorum peri-  
bit. (Pſ. 1) Has vias ambula, quas  
novit Dominus. Et, ſi ambulas in  
eis, non te fallunt. Via verò impio-  
rum, felicitas transitoria : finitâ viâ,  
peracta eſt felicitas. Quare? Quia via  
illa lata eſt, finis ejus in profundum  
inferni perducit. (hh) Benedic anima  
mea Domino, (ii) & dic : Salvasti me à

(ee) Prou. 2. (ff) Euseb. Emiff. hom. de 38.  
Epiphod. & Alex. (gg) Pſ. 36. (hh) Auguſt.  
ſin. in Pſ. 36. (ii) Pſ. 102.

## 180 CONSIDERATIO XI.

descendētibus in lacum. (kk) Lacus est profunditas sæculi. Quæ est ista profunditas sæculi? Abundantia luxurie & nequitie. (ll) Eripe me de luto, ut non infigar; neque absorbeat me profundum. (mm)

II. Qui hoc amat, quod amandum non est, miser & stultus est, etiamsi nunquam vel ipse, vel illud pereat. (a) Non omnis, qui, quod vult, habet, beatus est; sed si bona velit & habeat: si autem mala velit, quamvis habeat, miser est. (b) Amant homines diversas res: & quando quisque quod amat, habere videtur, felix vocatur. Verè autem felix est, non si id habet quod amat, sed si id amet quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo quod amant, quam carendo. Amando enim res noxias, miseri; habendo, sunt miseriiores. (c) Ex his alijsq; paßim, facillimè concludes, mi Lector, mundanarum rerum, seu verius, vanitatum sectatores miserrimos esse, atque verissimum illud Augustini: Hic falsi fel-

(kk) Ps. 29. (ll) Augustin. ibi (mm) Ps. 68.  
(a) Guigo Cartbus. meditat. c. 5. (b) S. Monica apud August. 10. 1. de beata vita disp. 1. [c] August. in ps. 26. enarr. 2.

## INFELIX FELICITAS. 181

ces, veri infelices: quia falsa felicitas, vera miseria est. (d) Quid enim in hac vitâ laboriosius, quam terrenis desiderijs æstuare? aut quid hic securius, quam hujus saeculi nihil appetere? Qui enim hunc mundum diligunt, turbulentis ejus curis & sollicitudinibus conturbantur. &c. (e) Quamuis quisque in saeculi gloria resulgeat, quamvis purpurâ auroque resplendeat, &c. semper tamen in poena est, semper in angustia est, semper in mœrore, semper in discrimine. In sericis stratis cubat, sed turbidus: in pluma jacet, sed pallidus: in lectis aureis, sed turbatus. (f) Quarè ex sapientissimo Gregorio, qui in hoc appetit mundo prosperari, ceteros excedere rebus, & honoribus tumere: huic nimirum cura in delectatione est, & quies in labore. (g) Ex Augustino: Miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur cum eas amittit, & tunc sentit miseriam quam miser est, & antequam amittat eas (h)

(d) In ps. 85. (e) Isidor. Hispal. l. 3. sentent. c. 16. (f) Idem in synonymo de contemptu mundi sub fin. m. (g) 16. Moral. c. 29. (h) L. 4. confess. c. 6.

## 182 CONSIDERATIO XI.

Quid ergo dicas? quasi gratulari me cogis, si aliqua hujus sæculi prosperitas attriserit? Nónne deceptoria est? Nónne fluxa, caduca, mortalis? nónne temporalis, volatrica, transitória? Nónne plus habet deceptionis quam delectationis? (i) Dum vendicas, dum defendis, dum invides, dum suspicaris, dum semper ambis que non habes; & nonnullis adeptis, acquirendi non tepeſcit ardor; quæ requies in gloria tua? Si qua tamen est, perit jucunditas non redditura, & manet anxietas non relictura. (k) O infelicitas generis humani! Amarus est mundus, & diligitur. Putas, si dulcis esset, qualiter amaretur? (l) Ecce turbatur mundus, & amatur mundus. Quid si tranquillus esset mundus? Formoso quomodo hæceres, qui sic amplecteris fœdum? Flores ejus quomodo colligeres, qui ab spinis non revocas manum? (m) O mundo immunde! verè non flores, & stabilitatem nullam habes: sed mella tua, & dulcedo tua asperitatem habent veram,

(i) August. in ps. 41. (k) Bernard. ad Sophiam ep. 113. (l) Augustin. serm. 111. de Temp. (m) Idem serm. 245. de Temp.

jucunditatem falsam ; certum dolorem, incertam letitiam ; durum laborem, timidam quietem ; rem plenam miseriæ, & spem beatitudinis inanem. (n) Dulcedo hujus sæculi ad tempus fauces indulcat, sed in magnam amaritudinem postea conuertetur. (o) Fallax est enim in eis (*rebus temporalibus*) suavitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas. (p) *Quare prudenter hortatur Chrysostomus* : Eia fratres, nolite desidiosè audire verbum veritatis ; non vos possideat vita falsitatis ; mundus iste non vos obdulcet. Amarus ad tempus mundus iste, non manens, non vos seducat. Mundus transitorius est, non vos decipiat in æternum. (q) Nam etiamsi divitias objecris, si gloriam, si delicias, sive aliud quodcumque ex iis quæ magna esse videntur, figura tantummodo sunt, non ipsius, quæ in rebus est, veritatis demonstratio : persona quædam scenica, non consistens rerum substantia. (r) Imò meretricem ego ap-

(n) *Idem ad Fratres in Eremo ser. 31* (o) *Idem in ps. 123.* (p) *Idem ep. 82.* (q) *Chrysost. in ps. 25.* (r) *Idem hom. 20, in ep. ad Rom.*

## 184      CONSIDERATIO XI.

pello vitam hanc, quæ in delitijs, & affluentia divitarum, & hujus sæculi potentia ac voluptate transigitur. Et non solum meretricem eam nomino, sed & turpissimam atque obscenissimam meretricem, cuius facies foeda, horrida, aspera, amara, crudelis. Et in hoc maxime est, in quo sine venia habendi sunt cuncti quos decipit: quod cum tam turpis sit vultus ejus, & ferox, & tam barbarus ac truculentus; multi tamen ab eâ capiuntur. (f) Istam infelicium mundanorum, qui fallaci vanitatum specie, velut pisces escâ (quæ est S. Augustini (t) aptissima comparatio) decipiuntur, cœcitatem & stupiditatem deflet cum alijs B. Laurentius Iustinianus: Iste mundus, inquit, quotidie dejicit, & elevat; ditat, & spoliat; blanditur, & injuriatur; milieque modis mortalium genus ludificiendo percutit, & occidit. Et (proh dolor!) cum tot alternantibus successibus sine interuallo defluat & illudat, vix reperitur, qui hæc intellegat, atque ipsius laqueos evadere

(f) Idem hom. Quod nemo luditur nisi à seipso  
(t) De agone Christ. c. 7,

## INFELIX FELICITAS. 185

studeat. (u) Et tu homo , quem fructum expectas in mundo , cuius fructus ruina , cuius finis Mors est ? (x) Si sapiς , si habes cor , si tecum est lumen oculorum tuorum , desine jam ea sequi , quæ & assequi miserum est. (y) Quæ tristia & hilaria in vitâ accidunt humanâ ; umbræ , fumo , & rotæ compara : tanquam enim umbra haud permanent , & veluti fumus evanescunt , instarque rotæ vertuntur. (z) Omnia quadam veluti rotâ circumvolvuntur , diuersas sœpè diebus singulis , etiam horis , vicissitudines afferente , ut instabilibus ventis , & navigii marè secantis vestigiis , & fallacibus noctis insomniis , quorum brevis est gratia , & his quæ per ludum in arena singunt pueri , magis fidendum sit , quam præsenti hominum prosperitati. (aa) *Quare i nunc. & ut utar Philosophiæ verbis Boëtium consolantis :*

Rara si constat sua forma mundo ,

Si tantas variat vices :

Crede fortunis hominum caducis ,

(u) Discipl. monast. convers. c. 2. (x) Bernard. medit. c. 17. (y) Idem ep. 103. (z) Nilus Ep. M. in sententijs. (aa) Greg. Naz. orat. de cura pauper.

Bonis crede fugacibus.

Constat, æternâ positumque lege est,

Ut constet genitum nihil. (bb)

Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus: infima summis, summa imis mutare gaudemus. Ascende, si placet, sed cā lege, ne utique cūm ludicri mei ratio posset, descendere injuriam putes. (cc) Et eam tu mundi felicitatem reputabis, quæ stabile nihil, amara omnia, innumeris curis, casibus, periculis obnoxia continet? Væ filiis hominum ab hac felicitate falsā atque fallaci. Vę qui dicit, quia dives sum, & nullius egeo: cūm sit pauper, & nudus, & miser, & misericordis. (dd) Quocūque cor se convertat in terrenis rebus, amaritudinem invenit. Unde dulcescat non habet, nisi levet se ad Deum. (ee)

III. Percurre omnes mundi aetates ad hanc usque quam vivis; quid nisi infelicissimam saeculi felicitatem, exitiales casus, amaritudine plena omnia conspicies? Habe ex innumeris pauca. Potentissimus Rex Pharaon,

(bb) Le consolat. l. 2. metro 3. (cc) Ibid. prosa.

2. (dd) Bernard. serm. 11. in Ps. 90.

(ee) August. in Ps. 85.

obstinatus in malo, cum omni equitatu, & curribus, & universo exercitu, sepultus est in medijs maris fluctibus, sic ut ne unus quidem superfuerit ex eis. (a) Absalom cupiditate regnandi tumidas, & in Parentem impius, è condensa & magnâ queru pendens, lanceis confuditur. (b) Aman ab omnibus Regis Assuëri Principibus adoratur; sed quia unus ei Mardochæus Iudeus non assurgeret neque genua flecteret, nihil se habere putat; atque in excelsâ, quam illi ex uxoris & amicorum consilio paraverat, trabe, ipsem et Régis jussu suspensus est. (c) Nabuchodonosor superbissimus Rex, ex aulâ, & ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit. (d) Ejus successor impius Baltassar, dum dapibus regijs & vino pretioso sese ingurgitat, aspicit articulos manus scribentis in superficie parietis aulæ regiæ; & eadem nocte imperfectus est. (e) Herodes tanquam Deus honorabatur, & confessim percussit eum Angelus, & consumptus à vermibus expiravit. (f) Gilimer wandalorum Rex diu felix, à Belisario victus, captus, & in triumphu ductus, infelicem mundi felicitatem, palam Imperatore Iusti-

(a) Exod. 14. (b) 2. Reg. 18. (c) Esth. 5. 6.  
(d) Dan. 4. (e) Dan. 5. (f) Act. 12.

## 188 CONSIDERATIO XI.

niano ac populo circumstante, professus est, illud memorans: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. (g) Ipse deinde Belisarius, summis honoribus, victorijs, & triumphis clarissimus, eò miseriарum redactus est, ut bonis omnibus, ipsis etiam oculis (secundum quosdam) privatus, stipem emendicare coactus sit, Date obolum, inclamans, Belisario, quem virtus extulit, excœcauit invidia. (h) Eutropij casum relegi considerat. 8. pun. 3. Ablavius, inter Constantini Magni aulicos Princeps, insatiabili auri cupidine, totus in cumulandis opibus, pila fortunæ non immerito appellatus, Imperatoris populique gratiâ excidit, in morem pecudis frustatim disiectus, incertum an vel ubi fuerit humili saltem sepultura donatus. (i) Valerianus Romanorum Imperator, post 15. regni annos, a Rege Persarum Sapore bello captus, ignominiosâ apud eum servitute consenuit, & donec vixit, ac clinis humi Regem ascensurum in equum, non manu, sed dorso sustulit. (k) O miserabilis humana conditio, & sine Christo vanum omne quod vivimus!

(g) Procop. l. 2. de bello Wandal. (h) Baron. ad an. Chr. 561. (i) Baron. an Chr. 326. & 337. (k) Paul. Orosius l. 7. c. 22. Lipsius Polit. l. 1. c. 5. mon. I.

## INFELIX FELICITAS. 189

exclamat meritò S. Hieronymus , qui & recensitis varijs Regum ac Principum exemplis, ( qui de alti simo dignitatis gradu repente præcipitati miserè perierunt; & qui dum rerum potirentur, terrori gentibus erant, capti ante ora victorum steterunt, & priùs ignominia servitutis, quam hostili mucrone confossi sunt) subdit : O si possimus in talem ascendere speculam , de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus , jam tibi ostenderem totius orbis ruanas, gentes gentibus, & regnis regna collisa ; alios torqueri , alios necari , alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi ; hic nuptias , ibi planctum; illos nasci , istos mori ; alios affluere delitijs, alios mendicare; & non Xerxis tantum exercitum , sed totius mundi homines , qui nunc vivunt , in brevi spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, & minus est omne, quod dicimus. Huius sapientissimus mundi contemptor Hieronymus. (1) Vis & recentiora quædam dicta & exempla de infeli sculi felicitate? Carolus V. repetit aliquando inter deambulandum calvariam humanam, quam dum pede

(1) Ep. 3. ad Heliodor.

## 190 CONSIDERATIO XI.

proterit, advertit mures in eâ nidis.  
care, & adjecit. Credere se hunc ho-  
minem in vivis nidos murium in cere-  
bro aluisse, qui etiam à morte cum  
non deserunt. O si calvarias magna-  
tum introspicere contingeret, quām  
inquietè illic mures, inter epulas &  
delicias, corrodere cerneret. (m) Idem  
Imperator Bruxelle, principatum Bel-  
gii in filium Philippum II. transfe-  
rens, ait, O fili, magnum tibi onus im-  
pono. Ego enim toto tempore princi-  
patus mei nunquam quadrantem ho-  
ræ magnis curis & anxietatibus va-  
cuum habui. (n) Philippus autem II.  
cū moreretur, acciri filium jussit,  
rejectaque stragulâ veste. pectus re-  
giarum olim curarum hospitium no-  
bile, tunc ebullientibus & stabulanti-  
bus fœdis pediculis horridum osten-  
dens, ait: Vide Princeps, quò reci-  
dant utriusque solis divitiæ, & terri-  
to concussoque bellis veteri, novus  
orbis sub jugum missus. Morimur.  
Hæc grandævus ille Rex, qui pro-  
dentiâ & opibus, dum superfuit, re-

(m) P. Engelgrave Domin. Palm. S. 1. (n) P.  
le Blanc in Ps. 143.

## INFELIX FELICITAS. 191

rum humanarum arbitrum egerat. (o)  
Hic idem dum Albani Ducis, & multis,  
quæ in ea felicitate obvenere, fu-  
neribus indoleret, auditus est cum di-  
ceret, Nunquam se melius expertum  
rerum humanarum vices: quod vide-  
licet, quo tempore tot regnis auge-  
batur, tunc & primogenito regnorum  
haerede, & Reginâ uxore, & summo  
filioque militiæ duce orbaretur. (p)

Cum quidam Alphonso Regi Arago-  
num instaret importunius, facetè dixit:  
Asini sunt Regibus beatores. Illis  
enim, dum comedunt, clitellas au-  
ferunt agafones: mihi verò senex iste  
cœnanti imponit. (q) Adriani VI. e-  
logium sepulchri, ut monumento, ita  
& memoriâ dignissimum: Adrianus  
hic situs est, qui nihil sibi infelicius  
in vitâ, quam quod imperaret, duxit.  
(r) Nec alius fuerat Adriano secundo ani-  
mus, qui dixit, Nullum se supplicium  
majus de hoste petere, quam ut Papa  
fieret. (s) Leo XI. cum 27. Pontifi-  
catus sui die, gradu & vitâ decede-

(o) P. Rhô Histor. virtut l. 5. c. 3. n. 6. (p) Stra-  
da de Bello belg. l. 7. sub fin. (q) P. le Blanc. sup.

(r) P. Pineda in Eccle. I. v. 15. n. 5. (s) P. le  
Blanc supra.

## 192 CONSIDERATIO XI.

ret, Confessario, magno animi sensu, dixit: Quām satiūs mihi foret, si monasterii potiūs, quām cœli claves tenuissem! (t) Pius V. Pontificiā dignitate & virtute sublimis, frequenter usurpabat hæc verba: Cūm essem Religiosus, sperabam benè de salute animæ meæ: Cardinalis factus, extimui: nunc Pontifex creatus, planè despero. (u) Nulla ergo in saeculo felicitas, quies nulla, nulla pax, nulla jocunditas. O tortuosas vias! Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te, Domine, recessisset, se aliquid melius habituram. Versa & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem; & dura sunt omnia. Et tu solus requies. (x) Ad te Domine animam meam levavi. (y) Jocunda eam apud te: solus enim tu es jocunditas: amaritudine plenus est mundus. (z)

(t) P. à Lapide in Eccle. i. pag. 38. (u) P. le Blanc sup. (x) August. I. 6. confess. c. 16. (y) Ps. 85. (z) August. in istum Ps.

## CONSID. XII.



## CONSIDERATIO XII.

### MUNDI COECITAS.

I. **V**ia impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant. (a) Nescierunt, neque intellexerunt : in tenebris ambulant. (b) Excoecavit enim illos malitia eorum. (c) Ipsi rebelles fuerunt lumini, nescierunt vias ejus (Dei.) (d) Everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. (e) Hinc ambulabunt ut cœci, quia Domino peccaverunt. (f) Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie. (g) Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet (Dominus) quasi ebrios. (h) Nempe lucerna impiorum, peccatum. (i) Peccata autem tenebræ sunt. (k)

- (a) Prov. 4. (b) Ps. 81. (c) Sap. 2 (d) Job. 24.  
 [e] Dan. 13. (f) Sophon. 1. (g) Job. 5. (h) Job. 12.  
 (i) Prov. 21. (k) August. in ep. Ioan. tr. 1. (l) (o)

## 194 CONSIDERATIO XII:

Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt : qui autem exultant in malis, consenescunt in malo ; (l) sedentes in tenebris, & in umbra mortis : (m) quibus proinde procella tenebrarum servata est in æternum. (n) Atque suam illam cœcitatem vel ipsi mundi amatores non ignorant, neque occultant, atque utinam serio detestentur. Expectavimus, inquiunt misereri, fatuo vanitatum fulgore decepti, expectavimus lucem, & ecce tenebræ : splendorem, & in tenebris ambulavimus. Palpavimus sicut cœci parietem, & quasi absque oculis attrahimus : impeginus meridie quasi in tenebris ; in caliginosis quasi mortui. (o) Siquidem qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. (p) Vide in Ægyptiis densâ tenebrarum caligine obsessis, miserandam mundanorum cœcitatem : Vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiae jacuerunt. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes hor-

(l) Eccl. 11. (m) Ps. 106. (n) Iude v. 13.  
(o) Isai. § 9. (p) Ioan. 12.

rendē, & cum admiratione nimia per-  
turbati. Ipsī ergo sibi erant gravio-  
res tenebris. (q) Via illorum tenebræ,  
& lubricum. (r) Cœcitas ipsa pecca-  
tum: (s) Sicut dicit Apostolus Ephes.  
6., diabolum & angelos ejus rectores te-  
nebrarum harum esse: non dicaret  
rectores tenebrarum harum, nisi di-  
ceret, rectores peccatorum, domi-  
natores iniquorum. (t) Dilectoribus  
suis & infidelibus plenus est mundus:  
hos appellat Apostolus tenebras. Ha-  
rum rectores diabolus & angeli ejus.  
(u) Enimvero mundum meras esse tene-  
bras, ipse summa Veritatis interpres Ioannes  
pronuntiat: Lux in tenebris lucet, &  
tenebræ eam non comprehendenderunt.  
(v) Mundus enim tenebræ, quia di-  
lectores mundi, mundus. (y) Mun-  
dus per ipsum factus est, & mundus  
eum non cognovit. (z) Quid est,  
Mundus factus est per ipsum? Cœ-  
lum & terra, mare & ominia quæ in  
eis sunt, mundus dicitur. Iterum aliâ  
significatione, dilectores mundi mundus

(q) Sap. 17. (r) Ps. 34. (s) August. tr. 44. in  
Evang. Ioan. (t) Aug. tr. 1. in Ep. Ioan (u) Aug.  
Serm. 48. de tempore (v) Ioan. 1. (y) Aug. tr. 3.  
in Evang. Ioan. (z) Ioan. I.

196 CONSIDERATIO XII.

dicuntur: eum non cognoverunt, qui  
amando mundum, dicti sunt mundus;  
(a) corde habitantes mundum; &  
malus mundus, quia mali homines  
habitatores mundi: sicut mala domus,  
non parietes, sed inhabitantes. (bb)  
Hoc loco mundum peccantium mul-  
titudinem, & terrenis rebus deditam,  
stultumque & abjectum & omnibus  
obnoxium perturbationibus vulgus ap-  
pellat. Non enim simpliciter inquit,  
Nemo eum cognovit: sed, Mundus  
cum non cognovit: hoc est, qui tan-  
tum mundo inhærent, qui mundo  
innituntur, qui terrena dumtaxat sa-  
piunt. Sic etiam Christus eos appel-  
lare consuevit: Pater Sancte, inquit,  
mundus te non cognovit. Joan. 17.  
Neque Filium tantum, sed & Patrem  
mundus ignoravit. Nihil etenim adeò  
mentein perturbat, quam sacerularibus  
his rebus inhærente. Cùm igitur hæc  
nobis luce clarius pateant, hujus mun-  
di illecebras, carnaliaque & terrena  
rotis viribus abjiciamus. (cc) O ho-  
mines, nolite esse tenebræ, nolite

(aa) Aug. tr. 2. in Evang. Ioan. (bb) Aug. tr. 3.  
ib. (cc) Chrysostom. in Evang. Iq, hom. 7.

MUNDI COECITAS. 197

esse infideles, iniqui, rapaces, avari, amatores saceruli. Hæ sunt enim tenebræ. Lux non est absens, sed vos absentes estis à luce. Cœcus in sole præsentem habet solem; sed absens est ipse soli. Nolite ergo esse tenebræ. (dd) Audi popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis; & aures, & non auditis. (ee) Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. (ff) Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis: (gg) lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. (hh) Apparuit enim (ex Hieronymo, illuxit) gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sacerularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sacerulo. (ii) Nihil igitur nobis sit commune cum sacerulo. (kk) Quod olim promisit Deus, nunc complevit per Filium, quem misit in mundum: Ducam cœcos in viam, quam nesciunt; &

(dd) Aug. tr. 3. in Evang. Io. (ee) Ierem. 5.

(ff) Ephes. 5. (gg) Isa. 9. (hh) Ioan. 1. (ii) Tit. 2.

(kk) Chrysost. ibi.

## 198. CONSIDERATIO XII.

in semitis, quas ignoraverunt, ambulare faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta. (ii) Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. (mm) Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant. (nn) Abhiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus; non in commissationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum CHRISTUM, & carnis curam ne feceritis in desideriis. (oo) Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate, (fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate) probantes quid sit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum; (pp) Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de

[ii] Isa. 42. [mm] Ioan. 3. [nn] Ioan. 12.  
[oo] Rom. 13. [pp] Ephes. 5.

MUNDI COECITAS. 199

potestate tenebrarum, & transstulit in  
regnum Filii dilectionis suæ. (qq)  
Omnes enim vos filii lucis estis, & filii  
diei: non sumus noctis, neque tenebrarū.  
Igitur non dormiamus, sicut & ceteri;  
sed vigilemus, & sobrii simus. (rr)

II. Supercecidit ignis, ait Psaltes,  
& non viderunt solem. (a) Videlis,  
quomodo dicit quandam pœnam ob-  
scurationis. Ignis supercecidit, ignis  
superbiæ, ignis fumosus, ignis con-  
cupiscentiæ, ignis iracundiæ. Quan-  
tus ignis est? Super quem ceciderit,  
non videbit solem. Quem solem?  
Non istum, quem tecum vident & pe-  
cora, & muscæ, & boni & mali....  
Est & alius Sol, de quo dicturi sunt  
illi (Sap. 5.) Et Sol non ortus es  
nobis: transierunt omnia illa tanquam  
umbra. Ergo erravimus à via verita-  
tis, & iustitiæ lumen non luxit no-  
bis, & Sol non ortus est nobis. Qua-  
re? nisi quia supercedidit ignis, &  
non viderunt solem. Vicit illos con-  
cupiscentia carnis. (b) Cùm in repro-  
borum cordibus Sol Iustitiæ occidere

I iij

(qq) Colof. 1. (rr) 1. Thessal. 5.

(a) Ps. 57. (b) Aug. in Ps. 57.

## 200 CONSIDERATIO XII.

cœperit, cœcitatis umbra vehementer  
crescit, adeò ut divino non illuminantur lumine, sed mortiferâ noctis  
involvantur obscuritate. (e) Cœcus est,  
qui supernæ contemplationis lumen  
ignorat; qui præsentis vitæ tenebris  
pressus, dum venturam lucem nequaquam  
diligendo conspicit, quò gressus  
operis porrigat, nescit. (d) Quid turbat  
oculum cordis? Cupiditas, avaritia,  
concupiscentia sacerularis turbat,  
claudit, excœcat oculum cordis. (e)  
Habet mundus iste noctes suas, &  
non paucas. Quid dico, quia noctes  
habet mundus, cùm totus ipse sit nox,  
& totus semper versetur in tenebris?  
Nox est judaica perfidia, nox igno-  
rantia paganorum, nox hæretica pra-  
vitatis, nox etiam Catholicorum carna-  
lis animalis e conversatio. An non nox,  
ubi non percipiuntur ea quæ sunt Spi-  
ritus Dei? (f) An non etiam cuique  
nostrum caliginosa nox erat, cùm  
tanquam sine Deo in hoc sæculo vi-  
veremus, cùm ambularemus post con-  
cupiscentias nostras, cùm sectaremur

(e) Gregor. in Pj. 101 (d) Greg. i. P. pastor.  
c. 11. (e) Aug. de verb. Dom. serm. 18. (f)  
Bernard. serm. 75. in Cant.

MUNDI COECITAS. 201

carnis illecebras, cùm obtemperemus desideriis sacerularibus, cùm exhiberemus membra nostra arma iniqutatis peccato, cùm serviremus iniqutati ad iniquitatem, in quib[us] nunc meritò erubescimus tanquam operibus tenebrarum? (g) Sic est. Dilectores mundi, sapientes hujus saeculi, noctuarum smiles, ut rectè Ambrosius, in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant, acuti ad vana, hebetes ad æterna: (h) aut, ut alio loco, rem eandem repetens, grandibus oculis, uti noctua videlicet, cernunt vana, non respiciunt sempiterna. (i) Domine, aperi oculos istorum, ut videant. (k) Praeclarè Augustinus: Umbra dum amatur, languidorem facit oculum animi, & invalidorem ad perferendum conspectum divinæ Sapientiæ. Propterea magis magisque homo tenebratur, dum aversus à luce, in umbrarum amore altius profundiisque immergitur. (l) Relinquamus ergo umbram, qui solem quærimus: deseramus sumum,

I V.

(g) vern ser. 5. Vig. Nativ. Dom. (h) Ambr 1.  
S. Hexam. c. 24 (i) serm. 43. (k) 4. Reg. 6.  
[l] Aug. 1. 2. de lib. arbitr. c. 16.

## 202 CONSIDERATIO XII.

qui lumen sequimur. (m) Fugienda & declinanda sunt mala. Mala autem in terris, in terris iniquitates. Fugiamus terrena, ne nos comprehendant iniquitates, quæ & sanctum comprehendenderunt David, sicut ipse testatur dicens: Comprehenderunt me iniquitates, & non potui ut viderem (Ps. 39.) eò quod fumo iniquitatis oculus animæ cœcatur, ne videat quæ sunt lucida. (n) Clamemus ad Dominum, (siquidem Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cœcos.) (o) Domine, in cœcitate sumus, & vanitate citò seducimur. (p) Domine miserere nostri. (q) Et si nos, ut duos illos cœcos sedentes secus viam interrogas, Quid vultis ut faciam vobis? Cum iisdem, sinceris & totis animis unum petimus, unum dicimus: Domine, ut aperiatur oculi nostri. Tu misericors nostri, range oculos nostros, & confessim videbimus, & sequemur te. Tu enim verè dixisti: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. (r)

(m) Ambr. de fuga seculi. c. 5. (n) Ibid. ( ) Ps. 345. ( ) Kemp. de Imit. l. 3. c. 41. (q) Matth. 20. (r) Ioann. 8.

MUNDI COECITAS. 203

Et iterum : Ego sum via , & veritas,  
& vita. (f) Quoniam apud te est  
fons vitæ , & in lumine tuo videbi-  
mus lumen. (g) Itaque Fratres mei  
sequamur Christum lumen mundi, ne  
ambulemus in tenebris. Tenebræ me-  
tuendæ sunt morum , non oculorum :  
& si oculorum , non exteriorum , sed  
interiorum unde discernitur non al-  
bum & nigrum , sed justum & in-  
justum. (h) Deus lux est : & tenebræ  
in eo non sunt ulæ. Si dixerimus  
quoniam societatem habemus cum eo,  
& in tenebris ambulamus : mentimur,  
& veritatem non facimus. Si autem  
in luce ambulamus sicut & ipse est  
in luce : societatem habemus ad in-  
vicem. (x) Hanc ( lucem ) amemus ,  
hanc intelligere cupiamus , ipsam si-  
tiamus , ut ad ipsam lucem aliquando  
veniamus , & in illa ita vivamus , ut  
nunquam omnino moriamur. (y) Ca-  
piant qui desiderant fulgoris perpetui  
claritatem , quam nox nulla interpo-  
lat. Soli enim huic , quem quotidie  
cernimus , nox tenebrosa succedit :

(f) Ioan. 14. (g) Ps. 35. (h) August. in Evang.  
Io. tr. 35. (x) I. Ioan. 1. (y) Aug. in Evang. Ioan.  
tr. 34.

## 204 CONSIDERATIO XII.

Sol autem justitiae nunquam occidit,  
quia sapientiae non succedit malitia.  
Si non ab illo facias casum, nunquam  
à te ipse facit occasum. (aa)

III. Dulce lumen, & delictabile est  
oculis videre solem. (a) E contrario in  
cæcitate viuere, & cœli aspectu caren-  
summa calamitas. Ingresso Raphaeli, ju-  
venis ignoti specie, ac seniorem Tobiam  
cœcum salutanti suavissimis hisce verbis,  
Gaudium tibi sit semper: ait Tobias,  
Quale gaudium mihi erit, qui in te-  
nebris sedeo, & lumen cœli non vi-  
deo? (b) Aeneas Silvius, postea Papa Pius  
II. scribit in suo commentario super acta  
Alphonsi Regis Aragoniae lib. 4. c. 1. in-  
terrogatum ab Alfonso cœcum iam gran-  
dænum, qui ante annos sedecim lumen se-  
oculorum amisisse dicebat: an molestè fer-  
ret suam cæcitatem? illumque respondisse:  
Nisi divina gratia esset adjumento,  
nemo cœcus vivere optaret; tanta est  
miseria cæcitatis, iis præsertim, qui  
aliquando lumen viderunt. Atqui longè  
gravior est animi cæcitas. Quatuor por-  
rò ex causis, juxta Bonaventuram, (c)

(z) Ambr. in Ps. 118. serm. 12. (aa) Aug. in  
Eu 10. tr. 34.

(a) Eccl. 11. [b] Tob. 5. (c) Serm. 3. in Quinqueq.

MUNDI COECITAS. 205

contingit cœcitas culpæ in animâ, videlicet carnis voluptate, superbiæ vanitate, rerum cupiditate, mentis infidelitate. Cœcitas concupiscentia significatur in Samsonem, qui per meretricem traditus exœcatur. Judic. 16. Cœcitas superbie in Sedecia Rege exœcato, sicut dicitur. Exœcatus est, quia regiâ dignitate elatus, aliis subesse noluit. 4. Reg. 25. Cœcitas avaritiæ in Tobia, stercore hirundinum exœcato. Tob. 2. Stercus enim sunt temporalia bona, & mundana. Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora. Philip. 3. Cœcitas infidelitatis est in Elyma; qui resistebat Paulo prædicanti fidem, de quo: Ecce manus Domini super te, & eris cœcus. Act. 13. Hactenus Doctor seraphicus. Accipe paucis ex Ambroſio, & mirare insanum cœca voluptatis amorem. Theotimus quidam sciens prudensque quod esset oculos amissurus, in ipso æstu ferventis cupiditatis, Vale, inquit, amicum lumen. (d) Itane verò iucturam oculorum posthabet brevissimæ voluptati cœca cupiditas? Præfert & mentis cœcitatem jucundissimo & eternæ Veritatis (d) Ambr. L. 4. in Luc.

## 206 CONSIDERATIO XII.

lumini insana triplex mundi concupiscentia.  
Quæ quidē animi nox sola est horrenda; quando, ut hæc expellatur, aut prohibeatur, immissa à Deo sit non raro corporis execratio, vel ab hominibus expetita. Apud Sinas blasphemus quidam in orthodoxam fidem, eà subita cœcitate percussus, ut conjectis in terram oculis omnino nihil, surrectis in cœlum acutissimè videret, Dei vindicis numen & legem agnovit, baptismo vitam eluit, & visum recepit. (e) S. Herluca Bavara juvenili flore vanitati sacerulari dedita, morbo divinitus immisso semel iterumque commonita, tandem oculis privata, totam se Veritati ac summo Bono consecravit, unicum oculum miraculo recepit, quo despiceret terrena, cœlestia suspiceret. (f) S. Morinorum Pontifex Audomarus praesatio execratus, B. Vedasti Airebatum Episcopi, cuius sacrum corpus in honestiore tumulum inferebatur, meritis, ac precibus S. Autberti aliorumque præsentium Antiftatum. visum receperat: verūm is agrè ferens liberatum se cœcitate, quam in salutem sibi a Deo immisam esse gaudebat, rursus ad votum suum oculis caruit. (g)

(e) Jax: ic. l. 6. Histor. Ind. Or. (f) Rider. viridarium. p. 3. c. 3. n. 1. (g) Tilbrancq de Morin. l. 4. c. 1. Bolland. de S. Vedasto 6. Febr.

## MUNDI COECITAS. 207

B. Lucia S. Dominici alumna, sollicitata  
frequenter à nobili adolescentे ad mutuos  
amores, oculos sibi ipsa eruit, eique trans-  
misit, ut quos maximè amabat ille, ha-  
beret sibi, ac importunus esse desisteret. At  
ista spontanea Luciae cœcitas, cœci amore  
juvenis menti lucem attulit, mundi nau-  
seam peperit, injectit perfecitque votum in-  
grediendi ejusdem Ordinis, ipsā etiam oculi-  
orum luce miraculo donatā virgine. (h)  
Lubet adscribere, quod infantia sua tempo-  
ribus accidisse scribit S. Hieronymus. (i)  
Beatus Antonius cùm à sancto Atha-  
nasio in urbem Alexandrinam esset  
accitus, & issit ad eum Didymus vir  
eruditissimus, captus oculis: interce-  
teras sermocinationes, quas de Scrip-  
turis sanctis habebant, cùm ejus ad-  
miraretur ingenium, & acumen ani-  
mi collaudaret, sciscitans ait, Num  
tristis es, quòd oculis carni careas?  
Cùm ille pudore reticeret, secundò  
tertioque interrogans, tandem elicuit,  
ut mœrorem animi simpliciter fatere-  
tur. Cui Antonius, Miror, ait, pru-  
dentem virum ejus rei dolere damno,  
quam formicę, & muscæ, & culices  
habent; & non lætari illius posses-

(h) Rader. suprà n. 9. (i) Ep. ad Castratum.

## 208 CONSIDERATIO XII.

sione, quam Sancti soli & Apostoli  
meruerunt. Ex quo pervides, Pergit  
*Hieronymus*, quod multò melius sit  
spiritu videre, quam carne; & illos  
possidere oculos, in quos peccati fel-  
tuca non possit incidere. (Matth. 7.)  
*Vtinam cœci essemus mundo*, ut ne mun-  
dum videremus, ne amaremus; lyncei tui  
ad suspiciendam amandamque eternam Ve-  
ritatem! *Vtinam cum B. Isaaco adhuc*  
puero, postea monasticā vitā & martyrio  
celebri, verum lumen exciperemus! de eo  
sic narrat S. Eusebius (k) Cūm esset  
adhuc leptensis B. Isaac, Virgo quæ-  
dam vedit globum luminis e cœlo des-  
cendere, atque inter omnium præsto-  
lantium turbam, solus hic ulnas ex-  
tendens, manibus lumen excepit, to-  
tamque ejus claritatem ori suo injec-  
tam ebilit; Felicem tunc, & verè  
beatum, omnibus tali condignum  
munere nuncupantibus. Mantis sua  
olim cœcitatem deflet sèpius magnus Au-  
gustinus, verumque donatum sibi lumen  
Deo gratulatur. En paucā ex multis, qua-  
tu endem animo meditare. Bonus est, qui  
fecit me, & ipse est bonum meum.

(k) Prefat. l. i. Memorialis Sanct.

Hoc peccabam, quod non in ipso, sed  
in creaturis ejus me atque ceteras vo-  
luptates, sublimitates, veritates quæ-  
rebam, atque ita irrueram in dolores,  
confusiones, & errores. (1) Erat tem-  
pus, quando non cognoscebam te.  
Væ tempori illi, quando non cognos-  
cebam te. Væ cœcitatí illi, quando  
non videbam te. Væ surditati illi,  
quando non audiebam te. Cœcus &  
surdus per formosa quæ fecisti, defor-  
mis irrueram. Et mecum eras, & te-  
cum non eram: & ea me tenebant  
longè à te, quæ non essent, nisi es-  
sent in te. Illuminasti me lux mundi,  
& vidi te, & amavi te. Nemo qui p-  
pe te amat, nisi qui te videt; & ne-  
mo te videt, nisi qui te amat. (m)  
Ecce video, gratias ago. Ecce video  
lumen cœli: interlucet oculis mentis  
meæ radius desuper à facie luminis  
tui, & lætificat omnia ossa mea. O si  
perficeretur in me! Auge, quæso,  
quod interlucet in me.... Væ illis qui  
non illuminantur ex te. Væ cœcis  
oculis, qui te non vident, Sol illumi-

(1) L. I. Confess. c. 20. (m) Soliloq. 31. fine.  
vide cap. 33.

210 CONSIDERATIO XIII.

nans cœlum & terram. Væ avertenti-  
bus oculos , ut non videant veritatem.  
Væ non avertentibus , ut videant  
vanitatem. Nequeunt enim oculi assueti  
tenebris, summae Veritatis radios intueri;  
nec sciunt de lumine aliquid aestima-  
re , quorum est in tenebris habitatio.  
Tenebras vident, tenebras diligunt, te-  
nebras approbant, de tenebris eentes in  
tenebras..... ( n ) O Lux , quæ illumi-  
nas omnia, tota simul, semel , & sem-  
per ; absorbe me in claritatis abyssum,  
ut videam undique te in te , & me in  
te , & cuncta sub te. ( o )

(n) Solil. 34. [o] Solil. 13.



CONSIDERATIO XIII.

MUNDI PERVERSITAS.

I. **M**undus totus in maligno po-  
situs est. (a) Quoniam omne  
quod in mundo est , concupiscentia  
carnis est , & concupiscentia oculo-  
rum , & superbia vitæ : quæ ( *concu-*  
*piscentia triplex* ) non est ex Patre, sed

(a) 1. Ioan. 3.

MUNDI PERVERSITAS. 211

ex mundo; (b) *seu*, ex diabolo, ut exponit *œcumениus*: Si verò, *inquit*, pravus opponitur bono Patris; qui concupiscentiis mundi servit, non ex Patre, sed ex mundo. Eum qui ex Patre non est, sed ex mundo, ex diabolo esse perspicuum est. Quemadmodum in Evangeliiis ad Judæos ait: Vos ex Patre diabolo estis, hoc est, mundanis studiis, quorum diabolus est & sator & cultor. (c) Et ita *dæmon* sàpè ab ipso Christo vocatur princeps mundi. (d) Nolite ergo diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. (e) Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam. (f) Fugientes ejus, que in mundo est, cōcupiscentiæ corruptiōnem. (g) Non enim est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. (h) Circuite vias Jerusalem, & aspice, & considerate,

(b) 1. Ioan. 2. [c] *Vid.* à Lapide ibi. (d) Ioan. 12.  
14. &c 16. (e) 1. Ioan. 5. (f) Ierem. 51. (g) 2.  
Petr. 1. [h] Oſe. 4.

## 212 CONSIDERATIO XIII.

& quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei: ait Dominus Deus apud Ieremiam. (i) Qui Propheta tantam malitiam admirabundus & deflens: Ego autem dixi, inquit; Fortitan pauperes sunt & stulti, signorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui. Et ecce magis simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. (k) Corruit in plateâ veritas .... & facta est veritas in oblivionem, & qui recessit à malo, præstat patuit. Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium. Et vidit quia non est vir & aporiatus est, quia non est qui occurrat. (l) En mundi perversitatem, qua Dei iram & flagella provocat. Potestne major inveniri? Potest enim verò, si quis adèò invenitur in seculo. Audi Sapientem. Stultus illudet peccatum. (m) Cum risu & joco quasi ludens perpetrat peccatum, & perinde ac si cum peccato luderet, illique illuderet: (n) &

(i) Ierem. 5. (k) Ibid. (l) Isai. 59. (m) Prov. 14. (n) A Lapide ibi.

MUNDI PERVERSITAS. 213

postquam peccavit, deridet, contemnit,  
ac pro nihilo ducit: (o) *juxta illud;*  
Quasi per risum stultus operatur sce-  
lus; (p) &, lætantur cum malè fece-  
runt, & exultant in rebus passimis.  
(q) *Vis amplius?* Deum ipsum à se abesse  
jubent mundi cultores, Qui dixerunt  
Deo: Recede à nobis: scientiam via-  
rum tuarum nolumus. (r) *Eundem om-*  
*nus bonitatis fontem odio habent:* Oderunt  
& me & Patrem meum, afferit &  
queritur ipsa aeterna Veritas. (s) *Et iterum:*  
Me odit mundus: quia testimonium  
perhibeo de illo, quod opera ejus ma-  
la sunt. (t) *Omnibus praesentem, omnia*  
*scientem, cæcum & insciuum faciunt seu*  
*singunt:* Et dixerunt: *Quomodo scit*  
Deus, & si est scientia in excelso?  
(u) *Imo Deum negant:* Dixit insipiens  
in corde suo: Non est Deus. (v) *Deum*  
*ibi alium statuit, imo Deos plures colit*  
*mundus, quot in eo regnant concupiscen-*  
*tia.* Apostoli (verba sunt magni illius  
Hieronymi) disce sententiam, qui ait:  
Hoc enim scitote intelligentes, quod

(o) Salazar. ibi. (p) Prov. 10. [q] Prov. 2. (r)  
Job. 21. (s) Ioan. 15. (t) Ioan. 7. (u) Ps. 72.  
(x) Ps. 13.

## 214 CONSIDERATIO XIII.

omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. (y) Et quamquam generaliter adversum Deum sapiat quid diaboli est, & quod diaboli est, idololatria sit, cui omnia idola mancipantur: tamen & in alio loco spicatum, nominatimque determinat dicens: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunitiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrum servitus (*Hieronymus* habet, quæ sunt idolorum servitus) propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. (z) Non est tantum in eo servitus idoli, si quis duobus digitulis thura in bustum aræ jaciat, aut haustum pateræ poculo fundat merum. Neget avaritiam esse idololatriam, qui potest triginta argenteis Dominum venditum appellare justitiam. Neget sacrilegium in libidine, sed is, qui membra Christi, & hostiam vivam, placentem Deo, cum publicarum libidinum victimis, nefariâ colluvione violavit.

(y) *Ephes.* 5. (z) *Coloff.* 3.

## MUNDI PERVERSITAS. 215

Non fateatur fraudem idololatriam esse, sed similis eorum, qui in Actibus Apostolorum ( c. 5. ) ex patrimonio suo partem pretij reservantes, præsenti periore vindictâ. *Hactenus Hieronymus;* ( aa ) cui adjicio *Guigonis Carthusiani pronuntiatum:* Eadem aut pejor est stultitia, genu flectere his quæ tu feceris; & animum inclinare his, quæ destruis, id est, saporibus, vel aliis sensibilibus. ( bb ) *Ex quibus vides execrandam mundanorum idololatriam,* quorum Deus venter est, ( cc ) *idolum avaritia, ambitio, luxuries.* Ne simus ergo de hoc mundo, ut non cum hoc mundo damnamur. ( dd ) *Ne simus ex eorum numero,* de quibus gravissimè expostulat Dominus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? ( ee ) *Audiamus & Apostolum graviter hortantem: Nolite conformari huic sæculo.* ( ff ) *Quod sa-*

(aa) *To. 1. Eb. 1. ad Heliodor.* (bb) *Guigo medit. c. 3.* (cc) *Philip. 3.* (dd) *I. Cor. 11.* (ee) *Ie. 2.* (ff) *Rom. 12.*

## 216 CONSIDERATIO XIII.

culum nequam vocat idem Apostolus : Dedit  
 ( Dominus noster IESVS CHRISTVS )  
 semetipsum pro peccatis nostris , ut  
 eriperet nos de præsenti sæculo ne-  
 quam. ( gg ) Et alibi explicatiū ostendit  
 hujus sæculi nequitiam , quā nos liberatu-  
 rus & mundaturus venit Christus Domi-  
 nus : Apparuit , inquit , gratia Dei Sal-  
 vatoris nostri omnibus hominibus eru-  
 diens nos , ut abnegantes impietatem  
 & sæcularia desideria , sobrie , & justè ,  
 & piè vivamus in hoc sæculo , expe-  
 stantes beatam spem , & adventum  
 gloriæ magni Dei , & Salvatoris no-  
 stri JESU CHRISTI : qui dedit semet-  
 ipsum pro nobis , ut nos redimeret  
 ab omni iniuitate , & mundaret sibi  
 populum acceptabilem , sectatorem  
 bonorum operum . Hæc loquere , &  
 exhortare ; ( hh ) & crebriùs mediture ,  
 quisquis es tu& , & alienæ salutis amator :  
 In partes vade sæculi sancti , ( ii ) ma-  
 joris sæculi , cuius introitus spatioſi &  
 securi , & facientes immortalitatis fru-  
 etum . ( kk ) Vive , inquam , sancta illi ater-  
 nitati , quieti eternae vitæ , quæ alibi

nuncu-  
 ( gg ) Galat. 1. ( hh ) Tit. 2. ( ii ) Eccl. 17. ( kk )  
 Esd. L. 4. c. 7.]

MUNDI PERVERSITAS. 217

nuncupatur sæculum æternum, & sæculum sæculi seu sæcula sæculorum. (ii)

II. Quomodo poterimus amare Deum, si amamus mundum? Si amamus mundum, separat nos à charitate Dei. Duo sunt amores, mundi, & Dei. Si mundi amor habitat, non est quæ intret amor Dei. Recedat amor mundi, & habitet Dei. Melior accipiat locum. Amabas mundum? noli amare mundum. Cùm exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem divinum, & incipiet habitare jam caritas, de qua nihil mali potest procedere.... Fratres, Deus dicit; per Apostolum Spiritus sanctus locutus est; nihil verius: Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso. Vis habere dilectionem Patris, ut sis cohaeres Filii? Noli diligere mundum; exclude malum amorem mundi, ut implearis amore Dei.... Si neglexeris Creatorem, & amaveris mundum, amittis Creatorem, qui fecit mundum.... Si vultis esse dii & filii Altissimi, nolite diligere mundum, nec

K

(ii) Raban. in illud Eccli.

## 218 CONSIDERATIO XIII.

ca quę sunt in mundo. (a) Fecerunt civitates duas amores duo; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei: cœlestem verò amor Dei, usque ad contemptum sui. Denique illa in seipsa, hæc in Domino gloriatur. Illa enim quærit ab hominibus gloriam; huic autem Deus conscientiæ testis, maxima est gloria. Illa in gloria suâ exaltat caput; hæc dicit Deo suo: Gloria mea, & exaltans caput meum. (Ps. 3.) (b) Ex qua civitate es tu, mi Christiane? Attende amorem tuum, attende voluntates. Duo namque amores sunt, ex quibus prodeunt omnes voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur authoribus. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei, nulla nimia; in dilectione autem mundi, cuncta sunt noxia. (c) Quid enim est mundus? Audi respondentem Isaiam Abbatem. Mundus est animi ad peccata destructio. Mundus est, cùm ea quę naturæ contraria sunt, sequimur. Mun-

(a) August in ep. 1. In n. tr. 2. [b] August. de civit. l. 14. c. 28. (c) Leo serm. 5. de jejun. 1: mensis.

MUNDI PERVERSITAS. 219

dus est, cùm carnis voluptates implemus. Mundus est, cùm arbitramur diuinos in hoc sæculo permanuros. Mundus est, cùm majorem corporis quām animæ curam gerimus. Mundus est, cùm ijs quæ caduca sunt, gloriamur. Non ex me ipso ista configo, sed Joannes Apostolus ita loquitur: Nolite diligere mundum &c. Quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. (d) Atque ista sunt, quibus Lucifer, mundi hujus seu hominum dilectorum mundi Princeps, illaqueare studet. & perdere miseros mortales, ut egregiè meditandum proponit S. Pater noster Ignatius in Libello Exercitiorum spiritualium, (e) Primùm imaginando coram oculis meis, apud campum Babylonicum, ducem impiorum in cathedra ignea, & fumosa sedere, horribilem figura, vultuque terribilem: deinde, advertendo quomodo convocatos demones innumeros per totum orbem spargit ad nocendum, nullis civitatibus & locis, nullis personarum gene-

Kij

[d] Iſai. Abb. orat. 21. de pœnitentia. (e) 2. hebdom. medit. de duobus vexillis.

## 220 CONSIDERATIO XIII.

ribus immunibus relictis. *Tum* atten-  
dendo cujusmodi concionem habeat  
ad ministros suos, quos instigat, ut  
correptis injectisque laqueis & cate-  
nis, homines primùm trahant (quod  
ferè contingit) ad cupiditatem divi-  
tiarum, unde posteà faciliùs in mun-  
dani honoris ambitionem, ac de-  
mum in superbiæ barathrum deturbari  
queant. *Vides*, ut mundus plenus est  
nequitiarum, plenus est laqueis. (d)  
Ergo quia fugienda & declinanda sunt  
mala, mala autem in terris, in terris  
iniquitates: fugiamus terrena, ne nos  
comprehendant iniquitates. (e) Quid  
in hoc mundo agimus. Fratres, aut  
quid facimus de hoc mundo? (f) O  
munde immunde, qui homines illa-  
queare non desinis, quiescere non per-  
mittis, rapere omnes appetis, occide-  
re omnes queris. Væ qui tibi credit;  
beatus qui tibi resistit; sed beator  
qui à te illeçus recedit. (g) O se-  
culum nequam, quod solos tuos sic  
soles beare amicos, ut Dei facias ini-

(d) Ambros. in Ps. 118. v. 2. (e) Idem de fugi-  
seculi c. 5. (f) Bernard. serm. in illud: Beatus qui  
invenit sapientiam. (g) August. ad Fratres in E-  
remo serm. 31.

micos, & indignos consilio Beatorum. Planè enim qui amicus vult esse tuus, inimicus Dei constituitur. (h) Ergo mi homo, Abripe animam tuam ex hoc mundo, Sodomam fuge, incendium fuge: irretorto oculo gradere, ne in salis lapidem concrescas: in montem, salutis causâ, te confer, ne simul correptus interreas. (i) Quid quæris, quid cupis videre in mundo, ubi nihil est mundum? Totum vanum, lubricum, & dolosum, præter amare Deum, & facere semper bonum. (k)

III. Sancto Anselmo cœlesti visione representata est mundi immunditia & nequitia. Raptus enim in ecstasim vidi fluvium immanem atque præcipitem, in quem sordes omnes, quæ ubique terrarum essent, confluenter, ita ut nihil aquis illis turpius ac fœdius fieri posset; quæ etiam quidquid attingerent, raperent ac devolverent, viros, feminas, divites, inopes. Quod ille spectaculum miratus, ac miseratus, cum quæsisset quibus ii rebus aleren-

K iij

(h) Bernard. Ep. 107. (i) Nazianz. orat. in S. Baptisma. [k] Th. a Kemp. Hortulo Rosar. c. 2.

## 222 CONSIDERATIO XIII.

tur, & quomodo viverent; responsum est ei, infelices illos eodem ipso cœno, quo trahebantur, potari, & delectari. Quin etiam adjecta est mysterii hujus interpretatio; torrentem illum esse ipsum mundum, in quo cœci mortales suis divitiis, honoribus, & reliquis cupiditatibus involvuntur, cumque adeò miseri sint, ut ne consistere quidem possint, ipsos tamen se beatos & fortunatos putare. (a) Gaudent siquidem volutari in sordibus dilectores mundi, & computrescere velut jumenta in stercore suo; (b) Bibunt aquam turbidam, in via Ægypti. (c) bibunt quasi aquam iniquitatem. (d) Volvuntur miseri, & involvuntur fluctibus maris, non rubri, sed atri & obscurissimi, & in puncto ad inferna descendunt. (dd) Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino; & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes, gloriosique ejus ad eum. (e) Vide descriptam paucis versibus unius Psalmi (f) mundi perversitatem. Dominus de-

(a) In vita S. Anselmi. (b) Ioh. 1. (c) Ierem. 2.  
(d) Iob. 15. (dd) Iob. 21. (e) Ioh. 5. (f) Ps. 121

MUNDI PERVERSITAS. 223

cœlo prospexit super filios hominum,  
ut videat si est intelligens aut requi-  
rens Deum. Omnes declinaverunt, si-  
mul inutiles facti sunt : non est qui  
faciat bonum, non est usque ad unum.  
Sepulchrum patens est guttur eorum :  
linguis suis dolosè agebant ; venenum  
aspidum sub labiis eorum. Quorum  
os maledictione , & amaritudine ple-  
num est : velocius pedes eorum ad  
effundendum sanguinem. Contritio  
& infelicitas in viis eorum , & viam  
pacis non cognoverunt : non est ti-  
mor Dei ante oculos eorum. Audi,  
at detestare perversos ac perniciosissimos  
mundanorum sermones : Veni nobiscum,  
insidiemur sanguini, abscondamus ten-  
diculas contra insontem frustra : de-  
glutiamus eum sicut infernus viven-  
tem , & integrum quasi descendenter  
in lacum. Omnem pretiosam substan-  
tiam reperiemus , implebimus domos  
nostras spoliis. (g) Venite , & frua-  
mur bonis quæ sunt , & utamur crea-  
turâ tanquam in juventute celeriter.  
Vino pretioso & unguentis nos im-  
pleamus : & non prætereat nos flos

K iiiij

(g) Prov. 3.

## 224 CONSIDERATIO XIII.

temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxurie nostræ: ubique relinquamus signa letitiae: quoniam hæc est pars nostra, & hæc fors. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex justitiae: quod enim infirmum est, inutile invenitur, (*b*) & quæ sequuntur; quibus & perversa sua consilia & iniqua opera exprimunt: ut verissimè cecinerit David: Tenuit eos superbia; operti sunt iniquitate & impietate suâ. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum; transferunt in affectum cordis. (*i*) Horres, non dubito, si quid tibi humani ac Christiani animi est, mi homo; horres, inquam, cùm tantam tamque horrendam iniquitatum coluviem vel solâ lectione aut auditione, neque eâ distinctâ, percipis. Quanto, prob Deum immortalem! corripereris horrore, si oculis daretur clare intueri & intelligentia complecti universas, quibus exundat mundus, abominationes? Paulisper (verba sunt Cypriani ad Donatum (*k*) te crede (*b*) Sap. 2. (*i*) Ps. 72 (*l*) L. 2. Ep. 2.

subduci in montis ardui verticem cel-  
siorem. Speculare inde rerum infra te  
jacentium facies; & oculis in diversa  
porrectis, ipse à terrenis contactibus  
liber, fluctuantis mundi turbines in-  
tuere. Jam sæculi & ipse misereberis,  
tuique admonitus & plus in Deum  
gratus majore lætitia quod evaseris,  
gratulaberis. Cerne tu itinera latroni-  
bus clausa, maria obfessa prædonibus,  
cruento horrore castrorum bella ubi-  
que divisa. Madet orbis mutuo san-  
guine; & homicidium cùm admittunt  
singuli, crimen est; virtus vocatur,  
cùm publicè geritur. Impunitatem  
sceleribus acquirit non innocentiae ra-  
tio, sed sævitiae magnitudo. Jam si  
ad urbes ipsas oculos tuos atque ora  
convertas, celebritatem offendas om-  
ni solitudine tristiorum.... Scelus non  
tantum geritur, sed docetur.... O si  
& possis in illa sublimi speculâ con-  
stitutus oculos tuos inserere secretis,  
recludere cubiculorum obductas fores,  
& ad conscientiam lumen pene-  
tralia occulta reserare; aspicias ab im-  
pudicis geri, quod nec possit aspice-  
re frons pudica.... Sed tibi post in-

K v


## 226 CONSIDERATIO XIII.

fidiosas vias , post dispersas orbe toto  
multiplices pugnas , post spectacula  
vel cruenta, vel turpia, post libidinum  
probra ;.... Forum fortasse videatur  
immune , quod ab injuriis lacestanti-  
bus liberum nullis malorum contacti-  
bus polluatur. Illuc aciem flecte. Plu-  
ra illuc quæ detesteris , invenies , ma-  
gis oculos tuos inde avertes. Incisæ  
sunt leges duodecim tabulis , & pu-  
blico ære præfixo jura præscripta sunt,  
inter leges ipsas delinquitur , inter ju-  
ra peccatur : innocentia nec illuc ubi  
defenditur , reservatur ; & alia , que  
graphicè recenset iniquitatis genera Ca-  
thaginensis Episcopus & Martyr Ergo  
cùm tot mala abundant , & inundent  
super terram , meritò cuique animæ  
gemendum & clamandum est in cœ-  
lum : Quis dabit mihi pennas sicut  
columbæ , & volabo , & requiescam ?  
Ps. §4. Nam qui has tantas miserias ,  
tanta æternæ salutis pericula verè co-  
gnoscat , non poterit non ex animo  
cupere quām longissimè ab iis , quām  
que celerrimè evolare. (1) Fuge quæ-  
so , in via peccatorum ne steteris.

[1] Plat. de Bono stat. relig. l. 1. c. 7.

(Pſ. 1.) Quomodo vivere potes, ubi mori non audes? (m) Egredere cum Loth de loco iniquitatis, festina & salvare. (n) Vtinam cum Camillo de Lellis Clericorum Regularium infirmis ministrantium Institutore, ad veram sui cognitionem & conversionem adducto, verè & constanter identidem repeteres, Nihil mihi cum mundo, Nihil mihi cum mundo. (o) Cui non sapit mundus, sapit Deus; & cui nihil cum mundo, est illi Deus omnia in omnibus. (p)

(m) Bernard. ep. 105. (n) Genes. 19. (o) In ejus vita lib. 1. c. 5. (p) 1. Cor. 15.



## CONSIDERATIO XIV.

### MVNDVS FALLAX.

I. **V**Idete ne quis vos decipiatur. (a)  
Videte ne seducamini. (b) Se-  
ductio est mundus, impostor pessimus, men-  
daciſſimus promiſſor, sycophanta verſipellis;  
qui velut molendinum, rotā quadam  
temporum volvitur, & amatores suos

(a) Coloff. 2. (b) Luc. 21.

## 228 CONSIDERATIO XIV.

conterit. (e) Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. (d) Beatum dixerunt populum, cui haec sunt, (e) terrena, vana, transitoria: Seduxerunt populum meum in mendacio suo, ait Dominus. (f) Quin & ipsi dilectores mundi seductos se & delusos inani & fallaci rerum seu vanitatum specie tandem aliquando agnoscunt, atque utinam non seriūs: Vanitate seducti sumus. (g) Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? in malignitate nostra consumpti sumus. (h) Verè mendacium posse fuderunt, vanitatem, quæ eis non profuit. (i) Ut quid igitur filii hominum diligitis vanitatem, & quæratis mendacium? (k) Beatus vir, qui non respexit in vanitates & insanias fallas; (l) mendaces, fallentes, seducentes: quæ scilicet promittunt id quod non præstant, neque posse se præstare cognoscunt; (m) miseros mortales fascinant nugacitatibus suis, inanitatibus impletant, prestigiis dementant, omni spoliant fortitu-

(c) August. in Ps 36. (d) Ibai. 3. (e) Ps 143.  
(f) Ierem. 23. (g) 2. Esdræ 1. (h) Sap 5. (i)  
Ierem. 16. (k) Ps. 4. (l) Ps. 39. (m) P. le  
Blanc ibi.

dine, ut olim Samsonem Dalila; (n) & velut meretrix illa magna, Babylon, mater abominationum terræ, (o) ex vase aureo venenum propinant. Amaram enim, atque adeò aeternūm lethalem, potionem mundus suis dilectoribus propinat. (p) Et, ut ait S. Isaacus Presbyter Antiochenus, Mundus est meretrix, quæ desiderio pulchritudinis suæ ad concupiscentiam trahit videntes eam: qui autem particulariter ejus amore deceptus, ipsum fuerit amplexatus, à manibus ejus non potest evadere, donec spoliaret eum vitâ suâ: & cùm expoliaverit omnibus, ejiciet eum à domo suâ, & in die obitus sui homo cognoscit eum: (q) tunc enim aperiet oculos suos, & nihil inveniet; (r) qui totum mundum habere se stulte glorabatur. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat, (s) fletus & stridor dentium. (t) Principis sui, rectoris tenebrarum harum, diaconi, inquam, more, utique patris mendacii, magna & omnia spondet mundus, at

(n) Iudic. 16. (o) hoc. 17 (p) August. serm.

(q) S. Isaacus de contemptu mundi to 5. biblioth. Patrum. (r) Job 27. (s) Prov. 19. (t) Matth. 8.

## 230 CONSIDERATIO XIV.

dat omnino nihil; solum aeternum va-  
gissime procurat, & nunquam finienda sup-  
plicia. Sic diabolus invalidit hominem,  
quem non fecit, insuper & decepit.  
Promisit immortalitatem & propina-  
vit iniquitatem. (Genes. 3.) (u) Veri  
domus diaboli, mundus, qui in ma-  
ligno positus est, non creatoris dig-  
nitate, sed magnitudine delinquentis  
vocatur; (x) domus mendacii in de-  
ceptionem. (y) Nunc ergo fili mi,  
audi me, & attende verbis oris mei.  
Ne abstrahatur in viis illius mens tua:  
neque decipiaris semitis ejus. Viæ in-  
feri domus ejus, penetrantes in inte-  
riora mortis. (z) Tota hujus mundi  
figura quæ præterit, & per oculos  
corda prolectat, zaballicis prætentis  
retibus, in qualibet sui specie laqueus  
mentis & gladius est. Excipit nos  
mundus iste variis voluptatibus flo-  
rens, & fallentibus venenatus illece-  
bris. Excipit nos innumeris anguis  
insidiis, cui nomina mille, mille no-  
cendi artes: ac sepe aperto certami-  
ne violentus aggreditur, & cudenti-

(u) Augustin de symb. ad Catechum. libro 4

(x) Reda in Evang. Luc. l. 2. c. 6. (y) Mich. II

(z) Prov. 7.

## MUNDUS FALLAX. 231

bus petit telis, si latentibus non capit laqueis. (aa) Oculos delectat, demulcit aures, sed mentem inquinat; multa mentitur, falsa adjungit, vera subducit, spondet pecuniam, sed auferit disciplinam. Elevat & extollit mentem sua oris verbis; ostendit omnia regna mundi: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. (Matth. 4.) Ibi tu cave, ne capiaris præterlabentibus & non manentibus, in quibus magna tentatio est. (bb) Hæc sunt, unde nos vult gaudere mundus, ut pereamus cum amatoribus hujus mundi. Hæc enim gaudia velut venena diaboli repudiare debemus, quia non solum corpora, sed & animam nostram perpetualiter necare festinant. (cc) Attendite (monet incarnata Veritas) à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. (dd) Falsi prophetæ sunt mundus & tres ejus inexplebiles concupiscentiæ. Vident vana, & divinant mendacium: dicentes, Pax, & non est Pax. Consuunt pul-

(aa) Paulin. ep. 2. ad severum (bb) Ambros.  
I. 1. de Cain & Abel. c 5. (cc) Augustin. 10. 4.  
Exhortat. ad quendam Comitem. [dd] Matth. 7.

232 CONSIDERATIO XIV.

villos sub omni cubito manus; & faciunt cervicalia sub capite universe ætatis ad capiendas animas. (ee) Nihil illis in speciem speciosius, nihil blandius: at reipsa turpius nihil, nihil fallax, nihil iniquius: Dei timorem, amorem honesti, æternorum meditationem procul esse volunt; fruendum bonis, quantum lubet, inclamant sensibus; & nisi caverimus, cum illis Mors ascendit per fenestras nostras. (ff)

Fuge ergo, sunt venena,

Sunt dona proditoria,

Ut ut audiant amœna,

Opes, voluptas, gloria. (gg)

II. Arridet mundus, ut sœviat: blanditur, ut fallat: illicit, ut occidat: extollit, ut deprimat: sœnore quodam nocendi, quam fuerit amplior summa dignitatis & honorum, tam major exigitur usura pœnarum. Caduca sunt quæcumque fucata sunt, nec fiduciam præbent possidentibus, quæ possessionis non habent veritatem. (ah) Temporalia enim dicuntur vana, quia habentem non satiant; sed

(ee) Ezech. 13. (ff) Ierem. 9. (gg) Gualec. Paulus scalæ Ahe gradu 2. rhyth. 22. (ah) Cyprian. ep. ad Donatum.

dicuntur mendacia, quia quod promittunt, non donant. (b) Esto tamen magna sint & honesta, quæ mundus interim amatoribus suis erogare videtur: sed infida esse quis nescit? Certa nimis eorum brevitas, & ipsius quoque brevitatis finis incertus: sèpè viventem deserunt: nam morientem nec raro sequuntur. (c) Nec immerito sanè mundus hic positus in maligno, vanâ promissione deludit animas, propriæ conditionis & nobilitatis oblitas, quas non pudeat porcis in ministerio subjugari, & desiderio sociari, nec sic tamen infelici edulio satiari. (d) Ne igitur decipient te res illæ, quæ in hoc mundo celebres ac splendidæ videntur. Omnipotens enim prætreunt, & nihil ex apparentibus stabile est. (e) De mundo sunt hæc: & mundus, quod suum est, diligit. Sed quousque? Non solum enim non semper, utpote qui non semper erit; verum nec diu quidem: diu siquidem ista in te mundus habere non poterit,

(b) Bonaventura serm. Dom. 4. post Pentecost.

(c) Bernard. de Convers. ad Clericos cap. 14. (d)

Bernard. ib. cap. 13. (e) Nilus Ep. M. in sententiis.

## 234 CONSIDERATIO XIV.

& te quippe ipsum in brevi non habitus. Nam breves dies hominis sunt. Mundus quidem cum suis concupiscentiis transit, sed te prius emitit quam ipse pertransit. (f) Nihil habet stabile, neque firmum, sed sola est oculorum deceptio, & priusquam appareat, avolat. (g) *Quare sapientissime monet S. Anselmus*: Si mundus, vel aliquid eorum, quae sunt mundi, ridet tibi, noli arridere illi. Certe, Frater, non ridet tibi, ut in fine risus, tu rideas; sed simulat risum, ut te irrideat. Esto igitur, dilectissime, semper cautus, ut anticipes eum, & retorqueas fraudem ejus in eum: & cum ille tibi fallaciter ridet, tu veraciter irride eum. (h) *Et iterum idem Praeful*: Si quando mundus in aliquo sui generis favore vobis ridet, nolite illi arridere: utique non ad hoc ridet, ut in fine rideatis, sed ut sub principe suo irridente cum ipso lugente lugatis. Potius ergo quoties vobis rident, risum ejus horrete: horrendo ridentem irridete, ut post irrisorem ejus irrideatis, & ipso lugente rideatis.

(f) *Bernard. ep. 107.* [g] *Chrysost. hom. 22. in Genes.* (h) *Anselm. l. 1. ep. 8.*

Amici mei, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt.... Non habet fœnum in cornu; aurum habet in cornu; sed posteriora videte: fœnum habet in caudâ; caudâ ferit ille, cavete. (i) Nulla nos prosperitas blandiens seducat, quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiens, obliviscitur ire quò tendebat. (k) Appositi in hanc rem, quod mellifluus Doctor agens de veteri homine, seu sensualitate: Blandienti tibi arrides; ludis cum illusore; nescis, quia Ismaël est, qui tecum ludit. Ludus iste non est pueritiæ, nec simplicitatis, vel innocentia; sed illusio est animæ, sed persecutio, sed mors. (l) Igitur seductorem mundum ne sequamur, animorum nostrorum persecutorem aversemur, illusorem & pretiositatem fugâ & contemptu illudamus. Nam iste mundus aut ridet nos, aut ridetur à nobis: aut acquiescimus, & despicimur; aut contemnimus, ut præmia æterna consequamur. Ac sic aut contemnis & despicias mundum; aut acquiescis, & premeris vel calcaris à mundo. Sed melius est ut calces

(i) Idem ep. 2 (k) Gregor. hom. 14. in Evang.

(l) Bernard. Medit. cap. 7.

## 236 CONSIDERATIO XIV.

mundum, & calcato eo gradum tibi facias, per quem in sublime consendas. (m) Scriptum est, Fratres charissimi, quod mundum non diligamus, quoniam mundus transit & concupiscentia ejus. O monde proditor! cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers: promittis vitam, sed donas mortem: promittis quietem, sed ecce turbatio: promittis florem, sed citò vanescit: promittis stare, sed citò recedis. Non ergo es diligentus, quoniam omnino transis, & concupiscentia tua velut fumus evanescit. O monde immunde, fallax & proditor! Numquid non periculosior es blandus, quam molestus? Numquid non magis timendus es dum allicis, quam dum spernis? Numquid non magis odiendus dum diligere simulas, quam dum odire te ostendis? O monde immunde, in te habitare & non dolere impossibile est. In te sperare & non timere vanum est. In te tua amare & non periclitari impossibile est. O Fratres mei, nolite ergo eum diligere, quoniam transit, & concupiscentia ejus. (n)

(m) August. de Tempore serm. 55. (n) August. ad Fratres in Eremo serm. 31.

III. Fallacis & severi, inter blanditiarum simulachra, hostis, mundi præcelens figura Joab fuit, qui Amasæ occurrenti blande dixit, Salve mi Frater. Et tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram. (a) Sic & perfidus Iudas Servatorem nostrum osculo prodidit, & tradidit. Ut filium prodigum habuerit impostor mundus, exponit S. Petrus Chrysologus: Ecce, quem admodum, sine patre, census nudavit filium, non ditavit. Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ, nihil reliquit. Civem denique in peregrinum, filium in mercenarium, in egenum locupletem, liberum mutavit in servum; junxit porcis, à patre piissimo quem se junxit; ut serviret cœnoso pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit. (b) Agit cum suis mundus, sicut ridiculus ille Romanorum Imperator Heliogabalus, qui principibus suis ad opiparum scilicet convivium invitatis, fictas pictasque proposuit epulas;

(a) 2. Reg. 20. (b) Chrysol. serm. 1.

## 238 CONSIDERATIO XIV.

(c) ac folles vento distentos pro subsellii  
ponebat convivis quibusdam amicis; quos  
prudentibus illis reflabat, ut concidenti-  
bus paulatim follibus plerumque sub men-  
sis repente invenirentur conviva. (d) Ita  
mundus ludit cum amatoribus suis; & sic  
olim lusit cum Balthasare & mille optimis  
tibus ejus, qui dum biberent è vasis tem-  
pli sacris, & laudarent Deos suos, à  
Cyro, Babylonem noctu occupante, repente  
oppressi & occisi sunt. (e) Eundem illuden-  
tis mundi ludum lethali fato expertus est  
Ruffinus: hic è vili domo & sorte, eò  
amplitudinis excrevit Constantinopoli in au-  
lā Theodosii, ut consulatum gesserit cum  
Arcadio, omniaque pro libitu ageret, Ca-  
sari ad arbitrium moderatus, solo titulo  
minor: sed & hunc indicto instanteq; iun-  
die publicè accepturus erat, cum subito  
mutante mundi aurâ, à militibus in mille  
partes sectus fuit, triste fortunæ ludibrium,  
fallacis mundi nobile documentum. (f)  
Docuit idipsum serò sapiens Thomas Volsanus,  
primarius ille Henrico VIII. Angliae Regi  
Catharinæ Arragoniaæ legitimæ uxoris re-  
pudiandæ author. Is obscurò loco natus,

(c) Elius Lampridius de Heliogab. (d) Ibid.  
(e) Daniel 5. Vid. cornel. à Lapide. (f) Drexel  
in Ioseph c. 6. §. 2.

## MUNDUS FALLAX. 239

ad omnē erectus dignitatis etiam Ecclesiasticæ gradum, dempto unico (quem tamen jam spe ascenderat) supremo Christi Vicarii; non diu post, & Regis gratiâ, & fortunis, & vita excidit: cùm tanquam reus læsæ majestatis regiæ apprehenderetur, dixisse fertur: Utinam nihil magis læsæ divinæ majestatis reus essem: nunc autem dum nulli rei magis incubui, quām ut Regi penitus inservirem, & in Deum peccavi, & Regis gratiam non obtinui. (g) Nec latior fuit fortuna Henrico ipsi incesto & schismatico Regi: postquām suam libidinem & furorem in Ecclesiam explevit, cùm morbo ingravescente, de instanti mortis articulo ab amicis admonetur; pateram vini albi poposcit, atque ad unum è suis conversus, Omnia (inquit) perdidimus; intermortuis deinde vocibus Monachorum nomen aliquoties ingeminasse dicitur; atque ita expirasse. (h) Quid Ladislauum Bohemorum Regem commemorem? Hic Matthiam, Ioannis Hunniadis Corvini, Turcarum terroris, filium, parente mortuo, car-

(g) Nicolaus Sander, de Schism. Anglic. l. 1.

(h) Ibid.

## 240 CONSIDERATIO XIV.

ceri arctissimisque vinculis, quod Comitem  
Wdalricum Regis cognatum occidisset, man-  
cipaverat, post paulo morti adjudicaturus.  
Verum versa est ludentis mundi facies.  
Ladislaxus sponsus, jam omnibus ad festa  
nuptias paratis, in balneo a femina hono-  
rarium pomum, quod cultellus media parte  
venenatus secuerat, accipit, edit, & vitam  
amittit. Hoc mortuo, Matthias e carcere  
ad sceptrum & solium educitur Hungaria  
Rex inaugurandus. (i) Aliam illudentis  
mundi tragœdiam, Andronicum tibi sisit  
ex Niceta Choniate Drexelius noster, (k)  
Orientis Imperatorem, qui tertio imperii  
sui anno ab Isaacio Angelo victus, duabus gra-  
vibus ferreis catenis collo injectis, & cōpedibus  
oneratus, verbis contumeliosissimis exceptus  
scommatis, verberibus, exquisitisque or-  
ciamentis etiam a petulantissima plebe af-  
fectus, ex infami tandem furca pedibus  
suspensus, palam docuit, atque utinam ef-  
ficaciter, quam nihil fidendum mundo fal-  
laci. Docet & Carolus Crassus suo hodie-  
que epitaphio apud Heluetios, quod se le-  
gisse testatur, & in libro suo De fallaci  
mundo commentatione 9. descripsit Ma-  
ximilianus

(i) Drexel. suprà §. 3. (k) Consider. 5. de  
Ætern. §. 3.

MUNDUS FALLAX. 241

ximilianus Sandæus noster, qui & tragæ-  
diam deinde fusiùs enarrat. En autem il-  
lud. Carolus Crassus Rex Sueviæ,   
pronepos Caroli M. Italiam potenter  
intravit, camque devicit, Imperium-  
que Romanum, ubi Cæsar coronatus,  
obtinuit. Ac mortuo Fratre suo Lu-  
dovico universam Germaniam & Gal-  
liam jure hereditario adquisivit. De-  
mum, animo, mente, & corpore de-  
ficiens, ab Imperio, sanè magno for-  
tunæ ludibrio dejectus, à suis omnibus  
postpositus, humili hoc in loco sepultus  
jacet. Obiit anno DCCCLXXXVIII.  
Idibus Januarii. Atque hæc aliaque innu-  
mera ac quotidiana fallentis & illudentis  
mundi ludibia, insignem, mi Lector, tibi  
contemptum illius pariant, persuadeant fu-  
gam; ac, si forte suis te fallacibus illece-  
bris pervertere nitetur infamis preditor, e-  
loquere cum magno Augustino, & os lar-  
vati impostoris obstrue: Eloquantur om-  
nes amatores tui, ô monde immunde,  
quibus aliquando florem serenissimæ  
juventutis præstare voluisti, vitam diu-  
turnam, divitarum copiam, familiarium  
abundantiam, pacis amœnitatem; di-  
cant omnes, loquantur cuncti; sur-

L

## 242 CONS. XIV. MUND. FALLAX.

gat venerabilis Pater Adam cum omnibus filiis suis, & uno ore loquuntur, utrum in hac vita gaudium habuerint sine dolore, pacem sine discordia, quietem sine metu, sanitatem sine infirmitate, lumen sine tenebris, panem sine dolore, risum sine fletu.

(i) *Illude illusori, ne illusus pereas.* S. Macarius *Ægyptius* cum altero Macario Alexandrino Nilum transiturus, totus paucus & squalidus, cum à Tribuno regionis insigniter ornato audiret, Beati estis vos qui mundum illuditis; respondit: Nos quidem mundum illusimus: Vos autem illusit mundus. (m)


(1) *August. ad fratr. in Eremo serm. 31.*

(m) *Pallad. Lausiacæ histor. cap. 20.*



AX.  
om-  
uan-  
ha-  
dis-  
item  
bris,  
letu.

S.  
cario  
pan-  
ionis  
vos  
Nos  
au-



## CONSIDERATIO XV.

### MUNDI PERICULA.

I. **F**ormido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terre. <sup>(a)</sup> Quoniam in medio laqueorum ingredieris; <sup>(b)</sup> ex Syro; Scito, quod inter laqueos incedis, & super retia ambulas. *Qua laquei & retia quia non patent nisi benè cautis, eò sunt periculosa.* Abscondita est in terrâ pedicâ ejus, & decipula illius super semitam. <sup>(c)</sup> *Quod explicans Gregorius Magnus: Tunc, inquit, ab antiquo hoste super semitam decipula ponitur, quando in actio- ne hujus mundi, quam mens appetit, peccati laqueus paratur; quæ videlicet non facilè deciperet, si videri potuisset. Sæpè proponuntur animo cum culpâ honores, divitiæ, salus & vita temporalis; quæ mens infirma, dum quasi escam videt, & decipulam non videt, per escam, quam videns app-*

Lij

(a) *Isai. 24.* (b) *Ecli. 9.* (c) *Job. 18.*

## 244 CONSIDERATIO XV.

tit, in culpâ constringitur, quæ non  
videtur, &c. (d) Hinc dicit Scriptura:  
Creaturæ Dei in odium factæ sunt, &  
in tentationem animabus hominum, &  
in muscipulam pedibus insipientium.  
(e) Vbi hæc præpositio, in, non po-  
nitur causaliter, sed consecutivè: non  
enim Deus fecit creature ad malum  
hominum. Hoc consecutum est pro-  
pter insipientiam hominum, qui scili-  
cket per suam insipientiam utuntur crea-  
turis ad aliud, quam ad quod factæ  
sunt. (f) Nimirum quia homo velut cœcus  
in creature sese effundit, in laqueos sese  
induit inextricabiles. Immisit in rete pe-  
des suos, & in maculis ejus ambulat.  
Tenebitur planta illius laqueo. (g)  
Vnde & illud Prophetæ: Fiat via illorum  
tenebræ & lubricum. (h) Horrenda  
via. Tenebras solum quis non hor-  
reat? Lubricum solum quis non ca-  
veat? In tenebris & lubrico quæ is,  
ubi pedem figis? (i) Atqui ea est mun-  
danorum via. In tenebris ambulant: (k)  
Errant à via veritatis, lassati in via  
iniquitatis & perditionis, ambulantes

(d) Gregor. 14. moral. 7. (e) Sap. 14. (f) S. Thom.  
1. 2. q. 79. a. 1. ad 2. (g) Job. 18. (h) Ps. 34.  
(i) August. ibi. (k) Ps. 81.

vias difficiles, viam autem Domini  
ignorantes; (l) incident in laqueos,  
(m) &, in foveam cadunt: (n) sive,  
(ut ait Hugo Cardinalis considerans illud  
Ps. 11. In circuitu impii ambulant )  
volvuntur ad modum puerorum, qui  
rotant se, & circumeundo turbant se,  
& cadunt subito: ita isti rotantes se,  
& turbantes circa temporalia, subito  
cadunt in peccatum; adde, & a pecca-  
to ruunt in præcipitia calamitatum & sup-  
pliciorum. Quamobrem, interprete S. Chry-  
sostomo, (o) admonens Scriptura non di-  
xit: Aspice, quod in medio laqueo-  
rum pertransis, sed agnosce. Et quare  
dixit, Agnosce? Obumbratus est, in-  
quit, laqueus..... Sicut enim pueri  
terrâ laqueos, sic diabolus vitæ vo-  
luptatibus peccata circumtexit. Sed  
agnosce perscrutans diligenter.... Non  
dixit, juxta laqueos pertransis, sed in  
medio laqueorum. Utrumque nobis  
voragini, utrumque doli. Deinde re-  
medium evadendi hosce laqueos assignans;  
Ne deorsum, inquit, volemus, sed  
superiora queramus. Etenim volatilia,

L iij

(l) Sab. 5 [m] Eccli. 9. (n) Matth. 15.

(o) Hom. 15. ad pop.

## 246 CONSIDERATIO XV.

donec altum aërem secant, non facile capiuntur: ita tu donec ad superiora respexeris, nec laqueo, nec ullis facilè capieris insidiis. Venator est diabolus. Fias igitur ipsius lustris sublimior. In altum ascendens non amplius ullam rerum admirabitur humanarum. *Hac & alia appositissimè S. Chrysostomus isto loco.* Et alibi; (p) Diabolus, inquit, suas occultat infidias. Quia propter magnâ nobis cautione & vigilantiâ opus est. Audi & Augustinum locum eundem initio allatum Ecclesiastici exponem. Ignoras, inquit, quia in medio laqueorum in via Christi. Et hinc laquei, & hinc laquei. Laquei à dextris, laquei à sinistris. Laquei à dextris, prosperitas sæculi: laquei à sinistris, adversitas sæculi. Laquei à dextris, promissiones: laquei à sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, à via noli discedere; nec promissio te capiat, nec terror elidat. (q) Modum laqueos illos evadendi disce ex Psalmista. Oculi mei semper ad Dominum,

(p) *In Ps. 141.* (q) *August, in Ps. 141.*

## MUNDI PERICULA. 247

quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. (r) Nec timeam ( explicat s. Augustinus ) (s) periculosa & terrena, dum terram non intueor ; quoniam ille, quem intueor, evellet de laqueo pedes meos. Vigilandum ergo nobis, & oculi sursum levandi & corda. Inimicus, inquit Augustinus, (t) ut occidat, semper vigilat sine somno : & nos ut custodiamus nos, nolumus vigilare à somno. Ecce tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos, & omnes vias nostras variis replevit decipulis ad capiendas animas nostras. Et quis effugiet ? Laqueos posuit in divitiis, laqueos posuit in paupertate : laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno, & in vigilia : laqueos posuit in verbo, & in opere, & in omni via nostrâ. Sed tu Domine, libera nos de laqueo venantium.....  
Pergit deinde : (u) Et tu quidem Domine lux mea, illumina oculos meos, ut videam lumen, & ambulem in lumine tuo, & non impingam in laqueos ejus. Quis enim evadet laqueos istos multos, nisi videat eos ?

L i i j

(r) Ps. 24. (s) ibi. (t) Soliloq. c. 16. [u] c. 17.

## 248 CONSIDERATIO XV.

Et quis videbit eos, nisi quem illuminaveris lumine tuo? Eadem vigilantiâ, eodem tibi opus est lumine, ut ne impingas in syrtes & scopulos astuantesque arenas procellosi hujus infidique mundi maris, aut vorticibus absorptus aeternum facias salutis naufragium. Mari quippe justè comparatur hic mundus, quia falsitatis amarus est, fluctibus diabolicis quatitur, & vitiorum tempestatibus commovetur. (x) Est hoc mare magnum, & spatiostum; illic reptilia, quorum non est numerus. (y) Terrible mare; insidiæ repunt in hoc seculo, & incertos repente occupant. Repentes autem tentationes quis numerat? Repunt, sed cave ne surripiant. (z) In hoc mari magno & spatio pereunt miseri, dum peritura sectantes, omittunt solida: quibus apprehensis, emergere & salvare possent animas suas. (aa) Et hoc ego (<sup>ait</sup> Hyeronimus) (<sup>bb</sup>) non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum, præmonco; sed quasi nuper naufragio ejctus in littus, doctus nau-

(x) Cassiodor. in Ps. 64. (y) Ps. 103. (z) Augustin. ibi. (aa) Bernard. serm. 1. de Adventu. (bb) Ep. 1. ad Heliodor.

ta timidus navigaturis voce denuntio.  
 In illo æstu, charybdis luxuriæ, sa-  
 lutem vorat: ibi ore virgineo, ad  
 pudicitiae perpetranda naufragia, scyl-  
 la, ceu renidens libido blanditur. Hic  
 barbarum littus, hic diabolus pirata,  
 cum sociis portat vincula capiendis.  
 Nolite credere, nolite esse securi. Li-  
 cet in modum stagni fusum æquor  
 arrideat, licet vix summa jacentis e-  
 lementi spiritu terga crispentur: ma-  
 gnos hic campus montes habet. In-  
 tus inclusum est periculum, intus est  
 hostis. Expedite rudentes, vela sus-  
 pendite. Crux antennæ figatur in  
 frontibus. Tranquillitas ista tempestas  
 est. Hactenus Hieronymus, cuius proinde  
 etiam calamo: Festina quælo te, &  
 hærentis in fallo naviculæ funem magis  
 præcide, quam solve. (cc) Qui amat  
 periculum, in illo peribit. (dd) Qui  
 autem cavit laqueos, securus erit.  
 (ee) Qui fugit sæculum, pennas ha-  
 bet,... volat. (ff) Frustrâ autem jaci-  
 tur rete ante oculos pennatorum. (gg)

L v

(cc) Hieronym. Ep. 103 ad Paulin [dd] Eccli. 3.

(ee) Prov. 11. (ff) Ambros. de fuga sæculi c. 5.

(gg) Prov. 1.

250 CONSIDERATIO XV.

*Ergo cum Davide clama : Quis dabit mihi pennas sicut columbae, & volabo ?* (bb) *Et iterum cum eodem : Libera me Domine de profundis aquarum.* (ii) *Cum Petro, Domine, salvum me fac.* (kk)

II. Mundus ita periculis abundat, ut necessarium sit homini eam vivere vitam, quae summo tantum pede terram strin-  
gat. (a) Omne iter istius vitae, plen-  
num laqueorum est. (b) Plena omnia  
periculis, plena sunt laqueis. Incitant  
cupiditates, insidiantur illecebrae, blan-  
djuntur lucra, damna deterrent, &c.  
(c) Est laqueus in auro, viscum in ar-  
gento, nexus in praedio, clavus in a-  
more. Dum aurum petimus, stran-  
gulamur: dum argentum quaerimus,  
in visco ejus hæremus: dum prædium  
invadimus, alligamur. Clavus est li-  
bido, clavi sunt omnes passiones, quæ  
veru quodam animam nostram pene-  
trant, & infigunt corpori, visceribus  
que ejus annectunt. (d) Quis inter tot

(bb) Ps 54 (ii) Ps. 68. (kk) Matth. 14.

[a] Gregor. Nyss Orat. 3 de Orat. Domin. (b) Am-  
broſ. de bono mortis c. 6. (c) Leo ferm. 5. Quadra-  
ges. Auguſt. ferm. 63. de Temp. (d) Ambroſ. de  
bono mort. c. 5.

## MUNDI PERICULA. 251

passiones hujus corporis, inter tantas  
illecebras hujus saeculi, tutum atque  
intemeratum servare potest vestigium?  
Respexit oculus, & sensum mentis  
evertit: audivit auris, & intentionem  
inflexit: inhalavit odor, & cogita-  
tionem impedivit: os libavit, & ignem  
adolevit: intravit mors per fe-  
nestrā, dixit Propheta. Jerem. 9.  
(e) Omnis mundi hujus corruptela,  
pestilentia est. Ne ergo tetigeritis,  
ne attaminaveritis eam. Lues est,  
contaminat: morbus est, polluit. Ne  
gustaveritis, quae sunt omnia ad cor-  
ruptelam ipso usu, ut Apostolus dixit  
(Colos. 2.) (f) Illa quae videntur  
bona, divitias, satietatem, laetitiam  
expertem doloris, detimento esse ad  
fructum beatitudinis, Dominico de-  
claratum iudicio liquet, cum dicitur:  
Vae vobis divitibus, qui habetis con-  
solationem vestram: Vae vobis qui  
saturati estis, quia esuriatis: & illis  
qui rident, quia lugebunt. (Luc. 6.)  
Sic ergo non solum adminiculo non  
sunt ad vitam beatam, corporis aut  
externa bona; sed etiam dispendio

(e) Ambros. de fuga saeculi. c. 1. (f) Idem enarrat.  
in I. Ps.

## 252 CONSIDERATIO XV.

sunt. (g) Non potest ad contemplandum Dcum mens esse libera, quæ desideriis hujus mundi & cupiditatibus inhiat. Neque enim alta concupiscere poterit oculus, quem pulvis claudit.  
 (h) Dedita temporalibus voluptatibus anima semper exardescit cupiditate, nec satiari potest, & multiplici atque ærumnosâ cogitatione distenta, simplex bonum videre non sinitur. (i) Magnam enim faciunt tempestatem multitudines cupiditatum, quæ velut in quodam freto corporis navigantem hinc atque inde perturbant. (k) Necdum tamen intermittimus & terrenis incumbere, & dæmonum nequitia falli: qui pro pusillis his & minimis rebus, nos privabunt majoribus: quippe lutum offerunt, ut aurum subtrahant, vel potius ut cœlo nos fraudent: umbram præterunt, ut à veris propellant: insomnia immittunt (nihil enim aliud id præter dici possunt fortunæ bona) ut luce obortâ, omnium nos arguant elegantissimos. Quæ omnia ita se habere intelligentes, caveamus aliquando tan-

(g) Idem 2. Offic. c. 5. (h) Isidor. Hispal sentent. l. 2. c. 41. (i) August. in Ps. 4. (k) Ambros. lib. de Apologia David c. 5.

MUNDI PERICULA. 253

dem dolos hosce & fraudes, animumque ad futura convertamus.... Quâ erimus excusatione digni, quando criminosa & turpia tanto studio consectamur?.... Quocirca refringite vincula, extricate vos laqueis. (l) Subducite vos dæmonum potestati, & servituti quâvis tyrannide intolerabili. Mundanos siquidem homines quodammodo sibi incorporat dæmon, teste Glossâ ordinariâ, quæ illud Genes. 3. serpenti, & in serpente dæmoni, dictum, Et terram comedes: sic interpretatur, Homines terrena diligentes incorporabis tibi, eos decipiendo. (m) Iste autem ( addit Tostatus ) terra vocantur, quia solùm quæ terrena sunt, sapiunt; solis carnalibus delectationibus, & transitoriis honoribus inhiantes: quæ omnia de terra sunt. Atque ita in hoc mundo bibunt (seu bibere videntur) vinum lætitiae; sed in alio bibunt acetum gehennæ. (n) Florent in fæculo, arescent in judicio, & post ariditatem in ignem mittentur. (o) Miseri prorsus morta-

(l) Chrysost. 10. 5. serm. de misericordia (m) Glossa ordin. in 3. Genes. v. 14. (n) Anton. Padian. serm. 1. in Dom. 3. post Pascha. (o) August. in Ps. 53.

254 CONSIDERATIO XV.

les , qui in bonis ducunt dies suos,  
ut in puncto ad inferna descendant.  
Cum enim interierint , non sument  
omnia, nec descendet eum eis glo-  
ria eorum ; quoniam vapor est ad  
modicum parens. Hæc cogita dilec-  
tissime , & hæc meditare jugiter , &  
in corde tuo describe ea , nec à me-  
moria tuâ ullatenus recedant. (p) Si  
vis terrenas bestias non timere , si vis  
evitare aves rapaces , voraces vultures,  
hoc est , aves aëreas , quæ sunt om-  
nes nequitiae spirituales ; elevare à ter-  
ra , terrena desere , sume alas colum-  
bæ , sume pennas divini Solis fulgore  
radiantes. (q)

III. Vedit B. Antonius omnes la-  
queos inimici super universam terram  
extertos . & cùm suspirans dixisset :  
Quis hos poterit transire ? Vocem ad  
se dicentem audivit : Humilitas sola  
pertransit , Antoni , quam nullo mo-  
do valent superbi contingere. (r) Ecce ,  
Domine Deus meus , mundus totus  
plenus est concupiscentiarum laqueis ,  
quos paraverunt pedibus meis : &

(p) Bernard ep. 335. (q) Petr. Chrysot. serm. 9<sup>8</sup>.  
(a) Bolland. de S. Antonio pag. 143.

MUNDI PERICULA. 255

quis effugiet hos laqueos? Profecto, à quo tu abstuleris extollentiam oculorum suorum, ut non eum capiat concupiscentia oculorum: & à quo tu abstuleris carnis concupiscentiam, ne eum capiat carnis concupiscentia: & à quo tu abstuleris animum irreverentem & infrunitum, ne eum calidè decipiatur superbìa vitæ. O quām felix, cui tu hæc facies! quippe transibit immunis. (b) Quod mare abruptius quām sæculum, tam infidum, tam mobile, tam profundum, tam immundorum spirituum flatibus procellosum?... Nihil tam cœcum, quām sæcularis suavitatis periculum: quæ dum mulcet animum, vitam obruit, & corporeis quibusdam scopulis sensum mentis illidit. (c) Cave insidias, cave fraudes. & hoc ipso quòd ad subruendum hominem, totum versutâ diabolus mundum fraude concutiat, totius sæculi pugnet illecebris, ejus tibi blanditiæ plus cavendæ. (d) Ipse enim est draco ille magnus & rufus, serpens antiquus, vocatus diabolus & satanas, habens capita septem, & cor-

[b] Aug. Soliloq. 12. (c) Ambr. pr. prefat. l. 5. in Iacob. (d) Amb. l. 4. in Luc.

## 256 CONSIDERATIO XV:

nua decem.... qui ortus est in Para-  
diso voluptatis ; qui caudâ suâ trahit  
tertiam partem stellarum cœli , & eas  
mittit in terram ; qui veneno suo  
corruptit aquas terræ , ut bibentes  
homines moriantur. (e) Non habebat  
in cœlo locum , propterea cecidit.  
Quò cecidit , nisi in terras ? Ideò hic  
adulteria , homicidia , ebrietates , abun-  
dare cœperunt. Inde exclusus , acrior  
ad nos venit , & tentationes solito  
asperiores tanquam iratus exercet. (f)  
*Ausus est tentator impudens vel ipsum Cœ-  
lorum Regem humanâ carne indutum aggredi.*  
Sed nihil in Christum potuit ; Qui ( ut scribit  
S. Ambrosius (g) post explicatum trinam  
tentationem , ad illa verba , & consum-  
matâ omni temptatione ) ideo pauper  
huc venit , ne haberet diabolus quod  
aferret. Vis scire quām verum sit ?  
Ipsum Dominum dicentem audi : Ve-  
nit princeps hujus mundi , & in me  
invenit nihil , (sive , ut habet vulgata ,  
non habet quidquam ) Ioan. 14. Et  
consummatâ omni temptatione , diabo-  
lus recessit ab eo. Luc. 4. Finis ergo  
temptationum , finis est cupiditatum :

(e) Aug. solit. 16. (f) Ambros. in Ps. 118. ser.  
12. (g) Idem l. 4. in Luc.

quia causæ temptationum, causæ cupiditatum sunt. Causæ autem cupiditatum sunt, carnis oblectatio, species gloriæ, aviditas potentiarum. (h) Fugiamus omnia quæ diabolicæ subjacent potestati, ne tanquam tyrannus in eos, quos intra regnum suum invenerit, accepte sævitiâ potestatis abutatur. (i) Relinquamus omnia quæcumque terrena sunt, ut cum venerit adversarius, nihil in nobis inveniat suum. (k) Voluptates sæculi, escæ quædam sunt; & quod pejus est, escæ malorum, escæ temptationum. (l) Potest aliquis gustare, quod gustatum adfert mortem? (m) Gustans gustavi, ait Ionathas, in summitate virgæ, quæ erat in manu meâ, paululum mellis, & ecce morior. (n) Ne quere, neve queritare, Quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? (o) Defle & fuge miserandam sortem. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos; & in puncto ad inferna descendunt. (p) Ex eorum choro homo ille dives (cujus nomini parcit Christus, sociis

(h) Ambr. ibid. [i] Idem ibi de 3. temptatione.

(k) Id. de bono mortis c. 5. (l) Ibid. c. 6. (m)

Iob. 6. (n) 1. Reg. 14. (o) Iob. 21. (p) Ibid.

## 258 CONSIDERATIO XV.


abundat mundus, infernus repletur) qui in-  
duebatur purpura & byssō, & epula-  
batur quotidie spendidè; mortuus est,  
& sepultus est in inferno. (q) Ibidem  
sepultus est ille, qui dum solennes exequia  
iterarentur, erigens è ferebro caput, primo  
quidem die, justo Dei judicio accusatum se;  
altero, judicatum; tertio denique, condemna-  
tum, miserabili voce proclamavit, audienti-  
bus horrore q̄ concussis omnibus; quos inter  
Bruno maximè, ad amicos ac discipulos suos:  
Quis ergo potest salvus fieri, nisi fu-  
giat mundum? dixit, fugit, & in intimis  
asperrimorum montium solitudines sese ab-  
dedit, uni Deo ac saluti sua vacaturus,  
præ insignis, ut vocat Clemens VI., & pre-  
lucidi, ut Martinus V., Carthusiensium  
Ordinis Fundator sanctissimus. (r) Fugia-  
mus & nos hunc mundum, ut non cum  
hoc mundo damnemur. (s) Plerique  
sunt, ait Magnus Gregorius scribens Mau-  
ritio Augusto, (t) qui nisi omnia reli-  
querint, salvari nullatenus possunt. Fu-  
gerunt, & salutem in tuto locarunt duo illi  
nobiles aulici, de quibus Potitianus ipse so-  
cius narravit Augustino adhuc mundo in-

(q) Luc. 16. (r) Vid. Raynaud. Trinit. Pt.  
triarc. (s) 1. Cor. 11. (t) Ep. 61. l. 2.

MUNDI PERICULA. 259

barenti. (u) Hi apud Treviros, dum Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, vagabundi irruerunt in quandam casam Anachoretarum, & invento ibi codice, in quo scripta erat vita Antonij, legere coepit unus eorum, & mirari, & accendi, & subito repletus amore sancto, & sobrio pudore, iratus sibi, conjectit oculos in amicum, & ait illi : Dic, queso te, omnibus istis laboribus nostris quod ambimus pervenire ? Quid quærimus ? Cujus rei causâ militamus ? Majorne esse poterit spes nostra in Palatio, quam ut amici Imperatoris simus ? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis ? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum ? Et quamdiu istud erit ? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc sio. Dixit, & repetitâ lectione, mundo mentem exuit, junctoque socio, Deo cum eodem servire statuit ex horâ illâ, mansitque in casa.

(u) l. 8. Conf. c. 6.



## CONSIDERATIO XVI.

DVRA MVNDI SERVITVS.

I. **T**radam Ægyptum in manu do-  
minorum crudelium. (<sup>a</sup>) Ægyptus,  
ex communi Patrum interpretatione,  
mundum significat seu dilectores mundi, qui  
traduntur, imò seipsi tradunt & sponte su-  
bjiciunt tyrannis crudelissimis, mundi tem-  
brarum harum rectoribus, atque savissimi  
fœdissimisq; concupiscentiis, quæ ex mundo  
sunt. Quid non atrox, non crudele sub eis-  
modi Dominis? Ægypti, mundi, inquam,  
Pharao seu rex immanissimus diabolus est;  
qui & Deus hujus sæculi dicitur. Non  
est hæc mea singularis opinio: est Oecumeni;  
est S. Thomæ, interpretantium illud Apostoli.  
In quibus Deus hujus sæculi excœca-  
vit mentes infidelium. (<sup>b</sup>) Intelligi  
siquidem sublimes isti Doctores, ibi Deum  
hujus sæculi diabolum esse, qui Deus est  
sæculariter viventium, non creatione, sed  
sui perversitate, exemplo, imperio, & sug-

(a) Isai. 19. (b) 2. cor. 4.

DURA MUNDI SERVITUS. 261

gestione. Et istam quidem interpretationem simplicissimam esse dicit, & approbat Cornelius noster in istum locum, confirmatq; ex alio loco (c) ejusdem Apostoli monentis, nobis esse colluctationem adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, hoc est, dæmones: de quibus S. Hieronymus ibi, omnium Doctorum opinio est, inquit, quod aër iste plenus sit contrarijs fortitudinibus: de quibus etiam S. Augustinus (d) explicans illum locum ad Ephesios, Ne fortè, inquit, cùm dixisset, mundi; intelligeres, dæmones esse rectores cœli & terræ: mundi dixit, tenebrarum harum: mundi dixit, amatorum mundi: mundi dixit, impiorum & iniquorum: mundi dixit, de quo in Evangelio dicit, Et mundus eum non cognovit. (e) Denique diabolum esse principem hujus mundi, hoc est, mundanorum hominum, qui diabolo suâ pravâ voluntate ac cupiditate se subdunt, & à quo (ut loquitur S. Paulus) (f) captivi tenentur ad ipsius voluntatem; apertè dicit ipsa Veritas, Ioan. 12. v. 31. c. 14. v. 30. &c.

(c) Ephes. 6. (d) in Ps. 54. (e) Ioan. 1. (f)  
2. Tim. 2.

## 262 CONSIDERATIO XVI.

16. v. 11. Quām igitur grave , quām non tolerabile, nisi planè insensatis, jugum mundi, jugum immanissimi Pharaonis ! Lassati sumus ( agnoscunt tandem duritatem servitutis, & gemunt nunquam quieturi in flamnis ipsis , quas servitio suo promeriti sunt, infeliciissimi mundi Ægyptii ) Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles. ( g ) In cophino servierunt , ( h ) in immunditiis peccatorum , in terrenis operibus & luto. O fædam & horrendam servitutem ! Audi de eâ Isidorum Hispalensem Episcopum : ( i ) Pharao similitudo est Zabuli, seu diabolus, qui imposuit jugum gravissimum ex luto & latere operari , id est , terrenis & lutulentis operibus incubare, admixtis paleis, hoc est , levibus & irrationabilibus factis. Luculentius exponit S. Augustinus ( k ) terrena illa , lutulenta & sordida opera, quæ Rex Ægypti diabolus imperat : Facit discurrere per sæculum, maris ac terræ elementa pro cupiditate turbare, forum pulsare litibus, & pro exiguo terræ cespite propinquos jurgiis fatigare , luxuriâ castitati insidiari, decipere innocentiam; domi quæ

( l ) Sap. 5. ( h ) Ps. 80. vid. August. ibi.

( i ) cap. 3. in Exod. ( k ) de Temp. Serm. 84.

## DURA MUNDI SERVITUS. 263

sunt fœda, foris quæ sunt crudelia, intra conscientiam quæ sunt flagitiosa, committere. Si ergo tales videris esse actus tuos, scito te regi Ægypti militare, id est, non Christi, sed diaboli spiritu agi. Porrò servitutem illam gravorem esse Pharaonicā, pulchrè ostendit Platus noster (<sup>l</sup>) alloquens Socios illos suos, filios Iacob seu electionis, quos singulari beneficio Dominus Deus eduxit de terra Ægypti, de domo servitutis: (<sup>m</sup>) Quoniam, inquit, non ea (sæculi servitus) corpus, quod adèò miserum videri sollet; sed animum, quod est multò miseriū, captivum ac vincitum tenebat. Quin etiam hominem homini servire, non ita turpe est: at turpius, servire vitio & diabolo, quo utroque nihil est fœdius; servire etiam mundo, quo nihil est vanius. Quod etiam eò magis apparet ex ipsorum, quæ tam sævus dominatus indixerat, cùm ignobilitate, tum insuper molestiâ & gravitate. Quæ enim nobis quoque alia erat occupatio, quam uti illis, in versando luto, in colligendis paleis, in conficiendis lateribus, sordidis omnino & famularibus ministeriis? Cùm enim hono-

(l) De bono Stat. Rel. proœm. l. 3. [m] Exod. 20,

## 264 CONSIDERATIO XVI.

ribus vel divitiis augendis, ut ferè hominum mores ferunt, nostra omnis vita dirigebatur; idque unum nostræ curæ ac labores spectabant; nihil quidem aliud agebamus, quam quod die ac nocte terram manibus, terram corde tractabamus: siquidem hæ res omnes terrenæ, & aliud nihil quam terra. Neque verò durissimi & acerbissimi deerant exactores, ipsæ scilicet cupiditates nostræ, quæ nos assiduè urgebant, stimularent, atque adigerent ad labores duplicandos, ad majora aggredienda, neque ullam nobis omnino quietis partem permitterent. Prosequitur subinde ostendere immanem Mundi, & qui in mundo dominatur, *Satana* furorem in eos, qui se ex illâ miserabilis servitute, divino instinctu impulsi eriperunt meditantur; felicitatem egressorum de Egypto, de populo barbaro. (n) Quis tandem servitutis istius fructus, quæ mercede? Consumuntur fame, & devorabunt eos aves mortuæ amarissimo. (o) ubi *Glossa* interlinearis, aves, id est, demones, leves, instabiles, crudeles. *Morsum harum avium* rectè exponit Hugo Cardinalis ibi, dicens: *Morsus*

(n) Ps. 113. (o) Deuter. 32.

DURA MUNDI SERVITUS. 265

Morsus diaboli amarus est in peccati  
perpetratione, amerior in separatione  
animæ, amarissimus erit in corporis  
resumptione. *Diaboli morsum experta erat*  
*anima illa quæ dicebat*: Vigilavit jugum  
iniquitatis meæ. Subversum est cor  
meum in memetipsâ, quoniam ama-  
ritudine plena sum. (p) Circumdedic-  
tum felle & labore: aggravavit com-  
pedem meum. Replevit me amaritu-  
dinibus, inebriavit me absynthio. (q)  
Mundi enim gloriam sitionis, dum  
multas pro cå tribulationes reperit,  
amarum est quod bibit: sed quia hoc  
nimis inhianter sumpsit, ejusdem  
amaritudinis malum discernere jam  
præ ebrietate non sufficit. (r) Uva eo-  
rum, uva fellis, & botri amarissimi.  
Fel draconum vinum eorum, & vene-  
num aspidum insanabile. (s) En cali-  
cem dæmoniorum; en suavitates Ægypti,  
sæculi hujus, de quo qui sunt, bibent illum  
& epotabunt usque ad fæces; (t) æter-  
num bibituri de vino iræ Dei, quod  
mixtum est mero in calice iræ ipsius,  
& cruciandi igne & sulphure: (u)

M

(p) Thren. 1. (q) Thren. 3. (r) Greg. l. 20. mor. c.  
16. (s) Deuter. 32. (t) Eze. b. 33. [u] Apoc. 14.

## 266 CONSIDERATIO XVI.

Pars enim illorum erit in stagno ardentis igne & sulphure, quod est mors secunda. (x) Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos. (y) Sufficit enim, praeteritum tempus luteis operibus peccatorum, tanquam Ægyptiorum, servivisse. (z) In libertatem vocati estis, Fratres. State: & nolite iterum jugo servitutis contineri. (aa) Non sumus ancille filii, sed libere: quam libertate Christus nos liberavit. (bb)

**II.** O filii hominum, incircumcisiss auribus, graves corde, ut quid cum tanto animi ardore ambitis fugitivos honores, fallacem gloriam, temporalem substantiam, brevissimas voluptates, & perituram vitam? Advertite diligenter, cui militatis, cujus jugo colla submittitis, quo<sup>rum</sup> tenditis? (a) Putas, quod peccatores istius mundi non laborant? Verè enim majores labores & sollicitudines habent, quam servi Dei, dicente Propheta: Contrito & infelicitas in viis eorum, &

(x) Apoc. 21. (y) 2. Cor. 6. (z) Aug. 10.<sup>to.</sup>  
hom. 20. (aa) Galat. 5. (bb) Galat. 4. (a) Lanth.  
Justinian. discipl. monast. conversat. c. 2.

## DURA MUNDI SERVITUS. 267

viam pacis non cognoverunt. Ps. 13...  
Ergo laborant multum, & conteruntur in sæculo, sed laborem non sentiunt: spiritus enim qui seducit eos, ipse delectat in malo. (b) Manent sub sentibus, & hoc ipsum delicias putant: (Job. 30.) quia & dura quidem ex præsentis vitæ amore tolerant; & tamen ex affectu nimiæ cupiditatis obligati, laborem ejusdem tolerantiae voluptatem putant. (c) Intueamur itaque, Charissimi, quanta in laboribus & doloribus homines dura sustineant, pro rebus, quas vitiosè diligunt; & quanto se his feliores fieri putant, tanto infelicius concupiscunt. Quanta pro falsis divitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus, periculosisssima & molestissima patientissimè tolerantur? (d) Magna est servitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte dissudet: cuius servitutis conditione carere, est in mundo jam nil concupiscere.... Asperum quippe jugum, & duræ servitutis.

Mij

(b) Auth. op. imp. in Matth. hom. 28. (c) Grego. l. 20. mor. c. 16. (d) Aug. l. de patientia c. 3.

## 268. CONSIDERATIO XVI.

pondus est, subesse temporalibus, am-  
bire terrena, retinere labentia, velle  
stare in non stantibus, appetere qui-  
dem transeuntia, sed cum transeun-  
tibus nolle transire. Dum enim contra  
votum cuncta fugiunt, quæ prius  
mentem ex desiderio affixerant, post  
ex pavore amissionis premunt. (e)  
*Quare præclarè Bernardus: Servire mam-  
monæ, avaritiam colere (quod est  
idolorum servitus) aut vanitatem sec-  
tari, prorsus degeneris animæ indi-  
cium esse quis nesciat? (f) Et Chry-  
sostomus: Quid tibi profuerit, quælo,  
cum nemini hominum servias, te ipsum  
affectibus subjicere? siquidem homi-  
nes sæpen numero parcere didicerunt:  
illi autem domini nunquam de per-  
ditione tuâ satiantur. (g) Quot autem  
illi Domini? Audi Ambrosium. Sæcularis  
plures dominos habet. Venit libido,  
& dicit, Meus es: quia ea quæ sunt  
corporis, concupiscis. Venit avaritia,  
& dicit: Argentum & aurum quod  
habes, servitutis tuæ pretium est: pos-  
sessio quam tenes, juris tui emptio,*

(e) *Greg. l. 30. mor. c. 23.* (f) *De convers. ad  
clericos c. 13.* (g) *Hom. 19. in I. Cor.*

venditio libertatis tuæ est. Venit luxuria, & dicit: Meus es, unius diei convivium pretium tuæ vitæ est. Inter calices te redemi, inter epulas acquisivi. Venit ambitio, & dicit tibi: Planè meus es. Nescis quod idem imperare aliis te feci, ut mihi ipse serires? Nescis quod idem potestatem in te contuli, ut meæ te subjicerem potestati? Veniunt omnia vitia, & singula dicunt: Meus es. Quem tanti competunt, quām vile mancipium est! (h) Semper in laqueis, semper in vinculis est: nunquam liber à compedibus, quia semper in criminibus. Quām misera servitus, servire peccatis! Naturæ ipsius nescit munia, nec somni ipsius novit vices, aut cibi fungitur suavitate, cuius nullum est immune servitium. (i) Atque illud enim verò absurdissimum est ac turpisimum in hac servitute, quod ipsam sacerdotalis homo ultro ac lubens induat, imò comparet pretio maximoz dato, ut loquitur S. Petrus Chrysologus de filio prodigo, (k) non accepto pretio, miseræ se vendit servituti. Vnde ait Pro-

M iij

(h) Ambr. in Ps. 118. serm. 12. n. 6. (i) Idem de Nabuthe c. 6. [k] Serm. 1.

## 270 CONSIDERATIO XVI.

**pheta**: Gratis venumdati estis. (l) *Nisi forte quis malesanus pecaniam diaboli as- timet. Quam autem illam?* Audi ex Ori- gene (m) explicante illud ejusdem Pro- pheta: Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, sive, ut ipse & Septuagin- za legunt, Ecce peccatis vestris ve- numdati estis. (n) Effecti sumus, in- quid ille, servi diaboli, secundum quod peccatis nostris venumdati sumus. Veniens autem Christus redemit nos, cum serviremus illi domino, cui nos metipso peccando vendidimus. Quid autem, ut nos mercaretur, diabolus dedit? Ausculta. Homicidium pecunia diaboli est. Ille enim ab initio homi- cida est. Fecisti homicidium, diaboli pecuniam suscepisti. Adulterium dia- boli pecunia est: diaboli enim in eo imago est & superscriptio. Commisisti adulterium, accepisti diaboli numisma. Furtum, falsum testimonium, rapaci- tas, violentia, haec omnia diaboli cen- sus est, & diaboli thesaurus. Talis e- nim pecunia de ejus monetâ procedit. Hac igitur pecuniâ emit ille quod emit, & efficit sibi servos omnes, qui

(l) Isa. 52. (m) In Genes. hom. 6. (n) Isa. 50.

DURA MUNDI SERVITUS. 271

de hujuscemodi censu ejus quantumcumque suscepereunt. Iudas infamis ille Domini & sui proditor, triginta argenteis se satanæ mancipavit, & intravit satanas in eum; (o) imò gratis omnino ut serviret, projectis argenteis, abiens laquco se suspendit. (p) Eheu! quam multos habet mundus, habet mundi princeps diabolus ejusmodi servos, qui gratis, imò qui perpetuis curis, laboribus, vigiliis, cruciatibus emptam miserabilem illam serviunt servitutem! Projectò si ille & ille tantum laboraret propter Deum, quantum laborat propter mundum: natale ejus tanquam Martyris ageretur; ait Guigo Cartbusianus. (q) Petrus verò Blesensis: (r) Pro hac vanissima vanitate, inquit, militant hodie nostri Curiales in labore & ærumna, in vigiliis multis, in periculis magnis, periculis maris, periculis fluminum, periculis pontium, periculis montium, periculis in falsis fratribus, in mortibus frequenter, in confractione & lassitudine corporis, atque in aliis vitæ discriminibus, in quibus gloriam martyrii me-

M iij

(o) Luc. 22. (p) Matth. 27. (q) Medit. c. 4.

(r) Ep. 14.

## 272 CONSIDERATIO XVI.

rerentur , si hæc pro Christi nomine sustinerent : nunc autem sunt martyres sæculi.... per multas siquidem tribulationes intrant justi in regnum cœlorum : hi autem per multas tribulationes promerentur infernum. Et Augustinus : Quid miramini , inquit , Fratres , si amatores Dei Martyres tanta pertulerunt , ut acquirerent Deum ? Amatores auri videte quanta patiantur ? (s) Alibi (t) autem discerniculum ponit inter Christi Martyres & mundi , non in tribulationum , quas patiuntur , sed in causæ diversitate. Lege Theodidactum illum Kempensem in aureo codice de Imitatione Christi , (u) & cum eo erubescet ac deset mortalium aviditatem & alacritatem serviendi fallaci mundo dura imperanti , promittenti inania ; tuam contrâ & aliorum cordiam serviendi Deo summa pollicentii & fideliter reddenti .

III. Quām infelix est illa conscientia , toto lacrymarum fonte lugenda , quæ se ita malis operibus cruentavit , ut in eâ non Christus requiescere , sed diabolus incipiat dominari ! (a) Certa

[s] De divers. serm. 100. [t] De sanctis ser. 50.

(u) L. 3. c. 3. & 20.

(a) August. serm. 1. de Tempore.

DURA MUNDI SERVITUS. 273

experienciâ didici ( ait sapientissimus ac modestissimus Idiota ) ( b ) quod nihil laboriosius est in hoc mundo, quam terrenis æstuare desideriis. Scimus, quantum cruciatus fuerit Achab, donec acquireret vineam Naboth. ( c ) Quantum doluerit Aman, quod honorem, quem appetebat, à Mardochæo non acciperet: ( d ) quam acerbè senserit illum cundem in sperato honore sibi prælatum. ( e ) Quanta molitus sit David, ut adulterium suum tegeret. ( f ) Quantum perturbatus fuerit Antiochus, cum spe suâ excidit. ( g ) Quid non pertulerit Amnon, adeò ut ægrotaret, prepter amorem sororis, donec eâ potiri posset. ( h ) Quantum laborarit Absalom, ut regnum patris invaderet. ( i ) Quam conficerit invidia Cainum, adeò ut facies ejus conciderit. ( k ) Vis plura? Mundum inspice: perpetua est tragœdia. Totus hic mundus & omnia quæ in mundo sunt, domus est servitutis; ( l ) Imò inferni sunt suburbia, sita in pravis hominum moribus, ut mundum non semel appellat P. Gualterus Paullus in opusculo sapius e-

M v

- (b) *Contempl. de amore diu.* c. 33. (c) 3. *Reg.* 21.  
(d) *Esth.* 3. & 5. (e) 1b. 6 [f] 2. *Reg.* 11. (g)  
1. *Machab.* 6. (h) 2. *Reg.* 13. (i) 2. *Reg.* 15. (k)  
*Gen.* 4. (l) *Opig. in Exod. hom.* 8.

## 274 CONSIDERATIO XVI.

dito, cui titulus, Scalæ & Alæ spiritus  
ascendentis in Deum. Dirumpamus  
igitur vincula eorum, & projiciamus  
jugum ipsorum. (m) Beatus qui non  
attrahit jugum illius, & in vinculis e-  
jus non est ligatus. Jugum enim illius,  
jugum ferreum est, & vinculum illius,  
vinculum ærcum est. (n) S. Augustinus  
charissimo nuper suo discipulo Licentio, in-  
ter romanas delicias licentiū agenti, in-  
dolens, atque à mundi vinculis ad inge-  
nuam Dei servitutem reducendo intentus,  
hac inter alia ad illum scribit: (o) Mi-  
licenti, etiam atque etiam recusan-  
tem & formidantem compedes sapien-  
tiæ, timeo te rebus mortalibus vali-  
dissimè & pernitiosissimè compediri....  
Vincula hujus mundi, asperitatem ha-  
bent veram, jucunditatem falsam;  
certum dolorem, incertam volunta-  
tem; durum laborem, timidam quie-  
tem; rem plenam miseriæ, spem bea-  
titudinis inanem. Hisne tu inseras &  
collum & manus & pedes, cùm &  
honoribus hujuscemodi subjugari af-  
fectas, & facta tua non aliter fructuosa  
existimas, & ambis inhærere, quò  
non modò invitatus, sed nec com-

(m) Ps. 2. (n) Eccli. 28. (o) Ep. 39.

DURA MUNDI SERVITUS. 275

pulsus quidem ire debuisti.... Sed videlicet fortissimo & præfidenti collo, jugum mundi jugo Christi est jucundius : qui si laborare nos cogeret, vide quis cogeret, quâ mercede cogere. Vade in Campaniam , disce Paulinum egregium & sanctum Dei servum, quâm grandem fastum sæculi hujus , tantò generosiore , quantò humiliore cervice incunctanter excusserit, ut eam subderet Christi jugo, sicut subdidit : & nunc illo moderatore itineris sui quietus & modestus exultat.... Quid æstuas ? quid fluctuas ? quid imaginationibus mortifrarum voluptatum aurem accommodas , & avertis à nobis ? Mentiuntur, moriuntur , in mortem trahunt. Mentiuntur , Licenti. Non dicit verum nisi Veritas , quia Christus est Veritas. Veniamus ad eum , ne laboremus.... Excutere de pulvere , con surge , sede Jerusalem : solve vincula colli tui , filia Sion. (p) Ne des alienis honorem tuum , & annos tuos crudeli. (q)

(p) Isa. 52. [q] Prov. 5.



## CONSIDERATIO XVII.

IVGVM CHRISTI SVAVE.

I. **V**enite ( Christus clamat ma-  
gister, unicus Filius Dei, so-  
lus verax , verus , Veritas clamat )  
(a) Venite ad me omnes , qui labo-  
ratis & onerati estis ; & ego reficiam  
vos. Tollite jugum meum super vos ;  
& discite à me , quia mītis sum , &  
humiliſ corde , & invenietis requiem  
animabus vestris : jugum enim meum  
suave est , & onus meum leve. (b)  
O salubre consilium , ô suasio fidelis ,  
ô admonitio salutaris ! Quid hac  
exhortatione consultius , quid brevius ,  
quid melius dici potuit ? Docuit his  
paucis hūmanata Veritas , terrena des-  
picere , ſpiritualia appetere , vana fu-  
gere , viſibilia non amare , pacem quæ-  
rere , & cælestia poffidere.... Jugum  
hoc non premit , ſed roborat ; non  
perimit , ſed reficit ; non onerat , ſed  
singulariter refugium praefat . Nam

(a) Aug. de verbis Dom. serm. 24. (b) Matth. 11.

JUGUM CHRISTI SUAVE. 277

portat portantem se , & in laboribus fortitudinem subministrat. Tunc namque hujus sancti jugi Christi suavitas degustatur , cùm realiter ipsius Domini se substraverit homo..... (c) O gratissimum pondus , quod magis confortat portantes. Nam pondus terrestrium dominorum atterit paulatim ministrantium vires : pondus autem Christi magis adjuvat bajulantem , quia nos non portamus jugum , sed gratianos.... Jugum enim meum suave est , & onus meum leve. Suscipite jugum meum , & à me discite ; id est , ex ipso jugo meo , quia suave est ; & ex ipso onere meo , quia leve est ; experimentum accipite , quia mitis sum , & humilis corde. Consequenter & Propheta dicit de Christo : Gustate , & videte , quoniam suavis est Dominus. Ps. 33. Inexpertis enim gravis est justitia Christi , expertis autem suavis est. (d) Transite ad me omnes (clamat eadem Sapientia) qui concupiscitis me , & à generationibus meis implemini : spiritus enim meus super mel dulcis , & hæreditas mea super

(c) Laur. Iustin. discipl. monast. c. 2. (d) Author op. imp. in Matth. hom. 28.

## 278 CONSIDERATIO XVII.

mel & favum. (e) Dulcis est spiritus, ut ne ipsa quidem dulcedini ejus prævalere queat, amarissima licet, mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem facit esse dulcissimam? Quæ resistere possit asperitas unctioni illi, quæ mortem quoque facit suavissimam? (f) Christi dulcedinem optimè indicant verba sequentia Ecclesiastici: Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sient. (g) Nempe, ut ait, Gregorius magnus, (h) spirituales delitiæ tantò à comedente amplius esuriuntur, quantò & ab esuriente amplius comeduntur. Augent desiderium in mente, dum satiant; quia quantò amplius earum sapor percipitur, eò amplius cognoscitur, quod avidius ametur. Et idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat, quod ignorat? Proinde Psalmista nos admonet, dicens: Gustate & videte &c. Ac si aperte dicat: Suavitatem ejus non cognoscitis, si hanc minimè gustatis: sed cibum vitae ex palato cordis tangite,

(e) Eccli. 24. (f) Bernard. serm. 2. de S. Andreo.

(g) Eccli. 24. (h) Hom. 36. in Evang.

JUGUM CHRISTI SUAVE. 279

ut probantes ejus dulcedinem amare  
valeatis. *Gustarat & viderat quām sua-*  
*vis est Dominus, qui psallebat : Judicia*  
*Domini vera, justificata in semetipsa :*  
*desiderabilia super aurum & lapidem*  
*pretiosum multum ; & dulciora super*  
*mel & favum : nam & servus tuus*  
*custodit ea ; & in custodiendis illis*  
*retributio multa.* (i) *Quām dulcia fau-*  
*cibus meis eloquia tua ! super mel*  
*ori meo. Bonum mihi lex oris tui,*  
*super millia auri & argenti. In via*  
*testimoniorum tuorum delectatus sum,*  
*sicut in omnibus divitiis.* (k) *Quibus*  
*eiusmodi plenus est Psalmorum liber, pleni*  
*alii sacri codices. Igitur collum subji-*  
*cite jugo, & suscipiat anima vestra*  
*disciplinam.* (l) *Suscipite jugum Christi:*  
*nolite timere, quia jugum est ; festi-*  
*nate, quia leve est. Non conterit*  
*colla, sed honestat. Quid dubitatis ?*  
*quid procrastinatis ? Non alligat cer-*  
*vicem vinculis, sed mentem gratiā*  
*copulat : non necessitate constringit,*  
*sed voluntatem boni operis dirigit.* (m)  
*In funiculis Adam traham eos, inquit*  
*ipse Dominus, in vinculis charitatis :*

(i) Ps 18. (k) Ps. 118. (l) Eccli. 51. (m) Am-  
br. de Helia cap. 22.

## 280 CONSIDERATIO XVII.

& ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum , (n) sublevans auxilio & suavitate gratiae. Portare Christi jugum , suave est , si ornamenta putas cervicis tuæ esse , non onera. Attolle ergo oculos semper ad Dominum Deum tuum , & quære Deum , & invenies. Erige cervicem : redimicula , non vincula , geris. Leve est enim jugum Christi , & ideo cervix non premitur , sed levatur. (o) Quare dubitas hanc sarcinam ferre ? Hæc sarcina gravis est , humilitas & pietas? Hæc sarcina gravis est , fides , spes , charitas ? Ista enim humilem , ista mitem reddunt. Et vide , quia oneratus non eris , si ipsum audieris : Jugum enim meum leve est , & sarcina mea levis. Quid est , levis est ? Quid si habet pondus , sed minus ? Plus habet avaritia , minus justitia. Nolo sic intelligas. Hæc sarcina non est pondus onerati , sed alæ volaturi. Habent enim & aves pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus ? Portant illas , & portantur. Portant illas in terrâ , portantur ab illis in cœlo. Por-

(n) Ose. 11. (o) Ambr. in Ps. 118. fer. 3.

JUGUM CHRISTI SUAVE. 281

ta ergo pennas pacis , alas accipe charitatis. (p) *Iugum Christi , jugum est mansuetudinis , humilitatis , & charitatis.* Nihil autem arduum est humilibus , nihil asperum mitibus, (q) Nihil amantibus durum est. Nullus difficultis cuncti labor est. Amemus Christum , ejusque semper quæramus amplexus ; & facile videbitur omne difficile : brevia putabimus universa , quæ longa sunt. (r) *Christus est via.* Qui ambulat in unâ viâ & regiâ , non laboret. (s) *Christus est veritas.* Cognoscetis veritatem , & veritas liberabit vos. (t) Num verè leve est onus veritatis , quod portante non gravat , sed levat ? Quid eo levius onere , quod non solum non onerat , sed & portat omnem cui portandum imponitur ? (u) *Christus est vita.* Audi ipsum : Ego sum panis vitæ : qui venit ad me , non esuriet : & qui credit in me , non sitiet unquam. Habet vitam æternam : in me manet , & ego in illo. (x) *Audi Discipulum , qui recubuit su-*

(p) *Aug. de verbis Apost. ser. 24.* (b) *Leo ser. 5.*  
de Epiph. (r) *Hieron. ep. ad Eustochium.* (s) *Idem*  
*in c. 52. Iſi.* (t) *Ioan. 8.* (u) *Bernard. ep. 72.* (x)  
*Ioann. 8.*

## 282 CONSIDERATIO XVII.

per pectus ejus. (y) Qui habet Filium, habet vitam æternam. Qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Hic est verus Deus, & vita æterna. (z) Quid non leve, non suave habentis vitam æternam? qui cum Davide canere posset: In pace in idipsum dormiam & requiescam. (aa) Qui cum eodem, ex vero, dicit Deo: Servus tuus sum ego. Tuus sum.; (bb) & cui vicissim Deus: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo servitutis. (cc) Servus meus es tu, elegi te. Ne timeas, quia ego tecum sum: (dd) redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu. (ee)

II. Mellifluus Doctor Bernardus expendens ac deflens stoliditatem miserandam illius, qui invitatus ad cœnam (ut est in Evangelio Luc. 14.) causatus est, quod juga boum emisset quinque, & iret probare illa, atque adeò non posset venire: Quid, inquit, juga einit, & juga boum, cui jugum suave gratis offertur? Nam jugum Christi, jugum hominis est: siquidem & Christus homo. Nec mo-

(y) Ioan. 21. (z) 1. Ioan. 5. (aa) Ps. 4 (bb) Ps. 118. [cc] Exod. 20 (dd) Iſai. 41 (ee) Iſai. 43.

dò gratis tribuitur; sed & copiosa his qui tulerint illud, remuneratio est, ut à nemine non dico emi, sed gratis sustineri queat. Quid ergo miser pro jugo distrahis animam tuam, qui jugum Christi suscipiens, emere poteras regnum Dei, mercari vitam, lucrificare Christum? Nam sine jugo interim esse non potes, homo nimis qui natus es ad laborem. (Iob. 5.) Sed grave jugum super filios Adam (Eccli. 40.) utique qui sequuntur eum. Nam super eos qui Christum sequuntur, leve est & suave. Hactenus Bernardus. (a) Facile est iter ad Deum, quoniam exonerando itur. Eset autem grave, si onerando iretur. In tantum ergo te exonerā, ut dimissis omnibus, te ipsum abneges. (b) Hæc servitus non obligat, sed absolvit; non onerat, sed honorat: abstergit servitutis maculam, non inurit. (c) Libera servitus apud Dominum; libera servitus, ubi non necessitas, sed charitas servit. (d) Christus enim quos alligat, liberat: & quos adstringit, absolvit. Denique qui

(a) Serm. super Ecce nos reliquimus. (b) Guigo Medit. c. 2. (c) Chrysolog. ser. 104. (d) Aug. in Ps. 99.

## 284 CONSIDERATIO XVII.

servus vocatus à Domino est, libertus  
est Domini : & qui liber vocatus,  
servus Christi est. ( 1. Cor. 7. ) Ideo-  
que in suis vinculis Paulus gloriatur  
dicens Paulus vincitus JESU. ( Ephes. 3. )  
Quod sub aliis contumelia est, sub  
Christo gloria est. ( e ) Quare Paulinus  
ad Licentium sic de hac liberâ servitute  
scribit carmine :

Hæc bona libertas, Christo servire  
& in ipso  
Omnibus esse supra. Non Domi-  
nis hominum,  
Non vitiis servit, non regibus ille  
superbis,  
Tantum qui Christo se dederit  
Domino.

Vive precor, sed vive Deo : nam  
vivere mundo,  
Mortis opus ; viva est vivere vi-  
ta Deo.

Dignitas est, servum esse potentis  
ait Ambrosius : ( f ) quanta dignitas, quanta  
gloria, servum esse CHRISTI IESV, Regis  
regum, Domini dominantium ? Vulgaris, si  
verissima est paræmia, Servire Deo, re-  
gnare est : atque, ut vel Seneca verbis utat-

(e) Ambr. in Ps. 45. (f) In 1. Tim. 1.

JUGUM CHRISTI SUAVE. 285

Deo parere, libertas. (g) Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei. (h) Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. (i) Propter quam causam non confunditur (*Christus ipse Filius Dei*) fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis Ps. 21. (k) & iterum: Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. (l) Et extendens manum in Discipulos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. (m) Jam non dicam vos servos. Vos autem dixi amicos. (n) Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos. Volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum. (o) Ex his aliisq; pas- sim obviis, clare conficitur nihil esse nobilius, nihil suavius christianâ illâ scrivitute, quâ Christi discipuli efficiuntur, amici, fra- tres, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. (p) Discipulatu Christi nil excellentius, nil utilius, nil hono- rificentius agitur. Quovis regno ac sæculari dignitate esse præstantior nos-

(g) *De beata vita c. 15.* (h) *Rom. 8.* [i] *2. Cor. 3.*

(k) *Hebr. 2.* (l) *Ioan. 20.* (m) *Matth. 12.* (n) *Ioan. 15.* (o) *Ioan. 17.* (p) *Rom. 8.*

## 286 CONSIDERATIO XVII.

citur, dummodò illibato corde servetur. (q) Si voluntati servitium accommodes, non te famulum Dei invenies esse, sed filium. (r) Magnus honor, Domine, magna gloria, tibi servire, & omnia propter te contemnere. Habebunt enim gratiam magnam, qui sponte se subjecerint tuæ sanctissimæ servituti. Invenient suavissimam Spiritus sancti consolationem, qui pro amore tuo, omnem carnalem abjecerint delationem. Consequentur magnam mentis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam. O grata & jucunda Dei servitus, quā homo veraciter efficitur liber & sanctus! O amplectendum, & semper optandum servitium, quo summum promeretur bonum, & gaudium acquiritur, sine fine mansurum! (s) Sobrium igitur sitis aliquando, & excitemini, & cui nostrum debeamus servitium, intelligamus: ejusque dumtaxat regnum desideremus, clamemus, præterita defleamus tempora, quibus mammonæ servivimus, cuius gravi & intolerabili

(q) Laur. Iustin fasc. amor. c. 17. (r) Valerian. hom. 3. (s) Kemp. de Imit. l. 3. c. 10.

JUGUM CHRISTI SUAVE. 287

jugo abjecto, Christi jugum & leve  
& suave subeamus. Nónne summæ  
profectò dementię est, tam leve, tam  
gratum imperium, & tantis redundans  
bonis, ut ingrato & fœdissimo servias  
tyranno, contemnere? (t) Nam ne-  
gotia sæculi & actus carnis, domus est  
servitutis: sicut è contrario relinque-  
re sæcularia, & secundùm Deum vi-  
vere, domus est libertatis. (u) Atten-  
damus ergo nos, Fratres; educiti sumus  
de Ægypto, ubi diabolo tanquam Pha-  
raoni serviebamus, ubi lutea opera in  
terrenis desideriis agebamus, & in eis  
multum laborabamus. Etenim nobis  
Christus quasi lateres facientibus cla-  
mavit: Venite ad me omnes, qui la-  
boratis &c. (x) Nolite jugum audiен-  
tes pertimescere, suavitatis enim exi-  
miæ plenum est. Neque metuatis,  
etiamsi onus dixerim, leve enim est ....  
Omni alacritate animi jugum hoc sub-  
eas; & tunc quām suave sit, facile cog-  
nosces. Nec enim teret cervicem tuam,  
sed ornatūs gratia imponitur: & ut  
discas ordine ad regiam viam proce-

(t) Chrysost. in Evang. Io. ho. 7. [u] Origen. in  
Exod. hom. 18. (x) Aug. tr. 28. in Evang. Io.

## 288 CONSIDERATIO XVII.

dere, & præcipitia utrumque vitare, ac  
facilè per angustam viam lætus ince-  
dere. Quoniam ergo tot tantaque bo-  
na hoc jugum præbet, quoniam tantâ  
securitate vallatum est, quoniam tanto  
gaudio replet: omni curâ, studio, ope-  
râque ipsum trahamus, ut & hîc re-  
quiem animarum inveniamus, & fu-  
turâ beatitudine potiamur. (y)

III. Sed quomodo, inquies, leve hoc  
onus, cùm dicatur: Nisi quis odio ha-  
buerit patrem ac marrem: &, nisi  
quis tollat crucem suam, & sequatur  
me; non est me dignus: &, nisi quis  
omnibus rebus suis renuntiaverit, non  
potest meus esse discipulus: cùm ju-  
beat ipsam quoque animam esse tra-  
dendam (Luc. 14.) Quomodo, in-  
quam, leve est? Doceat te Paulus di-  
cens: Quis nos separabit à charitate  
Christi? tribulatio, an angustia, an per-  
secutio, an fames, an nuditas, an peri-  
culum, an gladius? Et, quoniam non  
sunt condignæ passiones præsentis hu-  
jus temporis ad gloriam quæ revela-  
bitur erga nos (Rom. 8.) Doceant te  
illi, qui à synagogis Judæorum post  
mille

(y) Chrysost. in Matth. hom. 39.

mille flagella ac verbera , summo gau-  
dio affecti redibant , quia videlicet  
digni sunt inventi qui pro Christi no-  
mine contumeliam paterentur ( Act.5.)  
Quòd si adhuc , jugum ac onus au-  
diendo , formidas nimium , atque per-  
horrescis , non naturæ rerum hujus-  
modi timorem , sed ignaviæ totum at-  
tribuas. (a) Servis enim Dei omnia  
possibilia sunt : nam si quidam quòd  
hominum servi sint , in rebus ipsorum  
non parum possunt , dominantur , &  
disponunt ; multò magis servi Dei.  
(b) Audi ex his *Apostolum Gentium.* Om-  
nia possum in eo qui me confortat.  
(c) Placeo mihi in infirmitatibus , in  
contumeliis , in necessitatibus , in per-  
secutionibus , in angustiis pro Christo.  
Cùm enim infirmor , tunc potens sum.  
(d) Superabundo gaudio in omni tri-  
bulatione nostrâ. (e) In laboribus  
plurimis , in carceribus abundantius ,  
in plagis supra modum , in mortibus  
frequenter &c. (f) At vide etiam  
*luculentius* , quam jugum istud eidem

N

(a) *Chrysost. in Matth. hom. 39.* (b) *Idem in Ephes. hom. 8.* (c) *Philip. 4.* (d) *2. Cor. 12.* (e) *Ib. 7.*  
(f) *Ib. 11.*

## 290 CONSIDERATIO XVII.

suave sit & leve : ipsum adeò elevat usque ad tertium cœlum. Et scio , inquit, hujusmodi hominem ( sive in corpore, sive extra corpus, nescio : Deus scit) quoniam raptus est in paradisum : & audivit arcana verba , quæ non licet homini loqui. (g) Eodem suavi Christi jugo sublatus , & velut alatus , magnus ille Indiarum Apostolus Franciscus Xaverius, quas regiones , quæ maria non pervolavit? semper intrepidus ac indefessus , periculis, laboribus , mortibus quibuscumque objicit semper superior , adeò ut exclamaret, Amplius Domine , amplius : tantâ interim superfundente se cœlesti lætitia , ut sepius auditus sit , cùm diceret : Quælo, Domine , noli si placet , noli tantâ me gaudiorum mole obruere in hac vita. Sat est , Domine , sat est. (h) Antoninus , ex celeberrimo Prædicatorum Ordine , Archiepiscopus Florentinus , morti proximus eo gaudio perfundebatur , vt continere se non potuerit , quin in has voces eruaperet : Servire Deo regnare est. (i) Nobilissima virgo & martyr Agatha , Quintiano Siciliae Praetori stultè exprobranti Christianam servitutem , sapientissimè respondit:

(g) Ib. 12. (h) Tursell, in vita. (i) Turrian, le Févre 2. Maii.

JUGUM CHRISTI SUAVE. 291

Multò pretiosior est Christiana humilitas & servitus, regum opibus ac superbiā. *Blandina*, inter saevissimos pro Christi fide cruciatus, hoc unum repetebat, Christiana sum, Christiana sum. Inde omnis ejus fortitudo, inde lētitiae perennis materies, inde gloriatio, aliorumque pariter & nomine & re Christi servorum. Hoc titulo suos insignit, nobilitat, & delinit Deus. Vade, inquit ad Nathan Prophetam, & loquere ad servum meum David. (k) *Vbi Theodoreetus*, (l) *Primūm*, inquit, eum deliniit appellatione servitutis: est autem summus honor, nominari servum Dei. *De Iobo* dixit Dominus ad satan: Numquid considerasti servum meum Job? (m) *Et de Moyse*, laudem omnem complexa Scriptura est hoc elogio: Mortuus est Moyses servus Domini. (n) *Et quidem Nabuchodonosor* hoc eodem nomine veneratus est tres illos sanctos viros, quos in medio ignis incolumes admiratur: nam accedens ad ostium fornacis ignis ardantis, ait: Sidrach, Misach, & Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini, & venite. (o) *Quem*  
Nij

(k) 2. Reg. 7. (l) Qu. 22. (m) *Iob.* 1. [n] *Deuter.*  
34. (o) *Dan.* 3.

## 292 CONSIDERATIO XVII.

*Iocum expendens Chrysostomus, (p) Non potuit, inquit, illis vox alia suavior esse quam haec ipsa. Nam non ita gavisi fuissent, si vel reges eos, vel orbis dominos vocasset, atque quod dixit, servi Dei altissimi. Hinc David, ut se humiliter gloriosum prædicet, non Regis, sed servi Dei nomen adsciscit, in Psalmum 35. inscribens: In finem, servo Domini ipli David. Similiter Apostoli Petrus, Paulus, Iacobus, Iudas, epistolis suis hunc velut gloriosissimum doctrinæ sua & vita titulum præfigunt, Servus IESU CHRISTI; æstimantes, ut scribit Didymus in titulum Epistolæ Iacobi, hanc appellationem supra regna totius mundi consistere. Gloriaris & tu isto titulo? vita & moribus comproba. Tunc gustabis & videbis, quoniam suavis est Dominus. Manna absconditum est, nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Non illud eruditio, sed unctio docet: nec scientia, sed conscientia comprehendit, ut scribit Bernardus; (q) qui gustarat, & præ suavitate dicebat, Fateor, non sustinui pondus diei & æstus; sed jugum suave & onus levc*

*(p) In Ephes. hom. 8. (q) De convers. ad Clericos 6. 21.*

JUGUM CHRISTI SUAVE. 293

pro beneplacito patris familias porto.  
Opus meum vix unius est horæ : & ,  
si plus , præ amore non sentio. ( r )  
Augustinus , ubi excusso tandem duro mun-  
di jugo , suavi Christi servituti sc̄e man-  
cipavit , totus in gratias & latitiam effu-  
sus , exclamat : Sed ubi erat tam anno-  
so tempore , & de quo imo altoque  
secreto evocatum est in momento li-  
berum arbitrium meum , quo subde-  
rem cervicem leni jugo tuo , & hu-  
meros levi sarcinæ tuæ Christe I E s u ,  
adjutor meus & redemptor meus ?  
Quām suave mihi subito factum est ,  
carere suavitatibus nugarum , & quas  
amittere metus fuerat , jam dimittere  
gaudium erat ! Ejiciebas enim eas à  
me , vera tu & summa suavitas : eji-  
ciebas , & intrabas pro eis , omni vo-  
luptate dulcior , sed non carni & san-  
guini ; omni luce clarior , sed omni  
secreto interior ; omni honore subli-  
mior , sed non sublimibus in se . Jam  
liber erat animus meus à curis mor-  
dacibus ambiendi & acquirendi , &  
volutandi atque scalpendi scabiem li-  
bidinum : & garriebam tibi claritati  
mæ , & divitiis meis , & saluti mæ ,

(r) Serm. 14. in Cant.

N. iij.

294 CO. XVII. JUG. CHR. SUAVE.  
Domino Deo meo. (f) Mansuefecisti  
jugo tuo cervicem meam. Et nunc  
porto illud, & leve est mihi: quo-  
niam sic promisisti & fecisti. Et ve-  
rè sic erat, & nesciebam, quando id  
subire metuebam. (t) Ita Augustinus;  
cujus non dissimili animi sensu sic ad Christum  
Dominum & Deum suum Gulielmus Abbas  
S. Theodorici. (u) Jugum quidem tuum  
suave, & onus leve imposuisti mihi:  
& cùm ostendis mihi servitutis tuæ  
distantiam, & servitutis sæculi, blan-  
dè & leniter me interrogas, utrum  
melius sit, servire tibi Deo viventi,  
an diis alienis? Ego manum impo-  
nentis adoro, jugum deosculor, o-  
nus amplector; & multum mihi suave  
est, sub eo desudare. Multi enim &  
multo tempore possederunt me do-  
mini absque te (Isai. 26.) quorum  
jugum non est suave, nec onus leve.  
Tui juris esse cupio, tuum jugum re-  
cognosco, & onus leve, quod suble-  
vat, non premit. Sed ingrediens no-  
vam servitutis tuæ disciplinam, video  
mihi videre cœlos novos, & terram  
novam; & ecce mihi nova facis omnia.

(f) L. 9. confess. c. 1. (t) L. 10. conf. c. 36.

(u) In Orat. seu meditat.

A decorative horizontal border at the bottom of the page, featuring a repeating pattern of stylized floral or geometric motifs.

MVNDS CHRISTO OPPOSITVS.

I. **N**emo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, & alterum diliget : aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & mammonæ. (*a*) Adulteri (Amor mundi adulterat animam) (*b*) nescitis, quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. (*c*) Audisti: Non vis inimicus esse Dei? noli amicus esse hujus mundi: nam si amicus fueris hujus mundi, inimicus eris Deo. Quomodo enim non potest fieri adultera conjux, nisi inimica sit viro suo: sic anima adultera amore rerum sæcularium, non potest nisi inimica esse Deo. (*d*) Ergo inimici sunt Dei omnes amatores mundi, omnes inquisitores nugarum. (*e*)

N iiiij

(a) Matib. 6. (b) August. 10. hom. 34. (c)  
Jacobi 4. (d) August. in Ps. 91 (e) Beda in Ias. 4.

296. CONSIDERATIO XVIII.

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. (f) Quæ enim participatio justitiae cum iniuitate? aut quæ societas luci ad tenebras?... Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi: sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo: & ero illorum Deus: & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum (*infidelium, & mundanorum*) & separamini, dicit Dominus. (g) Nolo vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participare, & mensæ dæmoniorum. (h) Atque vel ipsi mundi afflæ, palam agnoscunt & edicunt, quam dissimiles, quam oppositi sint Christo. Contrarius est, inquiunt, operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ viæ ejus. Tanquam nu-

(f) I. Ioan. 2. (g) 2. Cor. 6. (h) 1. Cor. 10.

gaces æstimati sumus ab illo, & abitinet se à viis nostris tanquam immun-ditiis, & præfert novissima justorum,  
*&c.* (i) *Audiamus & ipsam Veritatem, Christum.* Mundus me odit: quoniam testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt. (k) *Vos (Iudeos, & animales homines alloquitur)* de deorsum estis, ego de supernis sum: Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. (l) *Et discipulos suos alloquens:* Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus. (m) *Ego rogado Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. (n) Ecce sublevatis oculis in cœlum; Pater, inquit, manifestavi nomen tuum homi-

N v.

(i) *Sap. 2* (k) *Ioan. 7. [l] Ioan. 8.* (m) *Ioan. 15. (n) Ioan. 14.*

## 298 CONSIDERATIO XVIII.

nibus, quos dedisti mihi de mundo.  
**Ego** pro eis rogo: Non pro mundo  
 rogo (*id est*, eis qui vivunt secundum  
 concupiscentiam mundi, *ex Augustino*)  
 sed pro his, quos dedisti mihi: quia  
 tui sunt. Et jam non sum in mundo,  
 & hi in mundo sunt. Et ego ad te  
 venio. Pater sancte, serva eos in no-  
 mine tuo, quos dedisti mihi: ut sint  
 unum, sicut & nos. Ego dedi eis ser-  
 monem tuum, & mundus eos odio  
 habuit, quia non sunt de mundo, si-  
 cut & ego non sum de mundo. Non  
 rogo ut tollas eos de mundo, sed  
 ut serves eos à malo. De mundo non  
 sunt (*audin'*, & perpendis istam repetitio-  
 nem?) sicut & ego non sum de mun-  
 do. Pater juste, mundus te non cog-  
 novit: ego autem te cognovi: & hi  
 cognoverunt, quia tu me misisti. Pa-  
 ter, quos dedisti mihi, volo, ut ubi  
 sum ego, & illi sint mecum. (o)  
*Hactenus Christus in sermone illo, quem*  
*habuit ultimum, sciens quia venit hora*  
*ejus ut transeat ex hoc mundo ad Pa-*  
*terem.* (p) *Rex est Christus.* At attende,  
*unde sit regnum ejus;* & vide, num tu de-

(o) *Iohann. 17.* [p] *Iohann. 13.*

MUND. CHRISTO OPPOS. 299

regno Christi sis. Interrogatus à Pilato an  
esset rex , respondit : Regnum meum  
non est de hoc mundo. Regnum meum  
non est hinc. (q) Ergo Christus Rex est,  
sed non mundi , non amatorum mundi.  
Quis ergo horum rex ? Ille , de quo Chris-  
tus : Venit princeps hujus mundi , & in  
me non habet quidquam. (r) Nunc  
princeps hujus mundi ejicietur foras.  
(s) Vbi Augustinus , Princeps hujus  
mundi , inquit , id est , princeps malo-  
rum omnium qui habitant in mundo ;  
diabolus ille & satan , cuius invidiā mors  
intravit in orbem terrarum : imitantur  
autem illum , qui sunt ex parte illius.  
(t) Hic est , qui seducit gentes : (u)  
adversarius noster , qui tanquam leo  
circuit quærens quem devoret. (x)  
Nolite locum dare diabolo. (y) No-  
lite esse de mundo , de regno diaboli , quod  
non potest stare , sed finem habet. (z)  
Nolite esse de civitate Babylomiorum. Ipsi  
de mundo sunt : ideo de mundo lo-  
quuntur , & mundus eos audit. Nos  
ex Deo sumus. (Scribit dilectus Veri-  
tatis Discipulus ) Qui novit Deum , au-

(q) Ioan. 18. (r) Ioan. 14. (f) Ioan. 12. (t)

Sap. 2. [u] Apoc. 20. (x) I. Petri 5. (y) Efhes.

4. [z] Marc. 3.

300 CONSIDERATIO XVIII.

dit nos : qui non est ex Deo, non audit nos : in hoc cognoscimus spiritum veritatis & erroris. (aa) Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus : (bb) non habet hæreditatem in regno Christi ; (cc) cuius regni non erit finis : (dd) qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut ciperet nos de præsenti sæculo nequam. (ee)

II. Duas in mundo civitates faciunt duo amores : Jerusalem facit amor Dei ; Babyloniam facit amor sæculi. Interroget ergo se quisque, & inventiet unde sit civis. (a) Sicut impossibile est servire Deo & Mammonam, ita amicum Dei esse simul & mundi. (b) Et audet quisquam mendacem Christum facere, Mammonam & Dominum serviendo ? Vociferatur ille sepè : Siquis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. (Luc. 9.) Et ego onustus auro, arbitror me Christum sequi ? (c) Nemo potest amplecti

(aa) 1. Ioan. 4. (bb) Rom. 8. (cc) Ephes. 5.

(dd) Luc. 1. (ee) Galat. 1.

(a) Aug. 10. 3. sentent. 221. (b) Didym. in

4. Ite. (c) Hieron. ep. 1. ad Heliod.

MUND. CHRISTO OPPOS. 301

Christum simul & sæculum. (d) Qui amat Christum, non amat sæculum: Christus enim abjectus est sæculo, sicuti & sæculum Christo, ita, ut scriptum est: ( Galat. 6.) Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Nemini amabilis fuit mundus, quem non antè damnaverit Dominus; nec salute potuit frui æternâ, qui mundi gloriatus est vitâ. Vox est ista Christi dicentis: Qui in hoc sæculo amaverit animam suam, in futuro perdet eam: qui autem in hoc sæculo oderit, in futuro inveniet eam. (e) Quomodo poterimus amare Deum, si amamus mundum?.... Exclude malum amorem mundi, ut implearis amore Dei. Vases, sed adhuc plenum es. Funde quod habes, ut accipias quod non habes. (f) Quomodo potest esurire vel siti-  
re Christum, plenus siliquis porco-  
rum? Non potes simul bibere calicem Christi, & calicem dæmoniorum. Ca-  
lix dæmoniorum, superbia est: calix dæmoniorum, detractio & invidia est:  
calix dæmoniorum, crapula & ebrie-

(d) Isidor. Hisp. in synonym. (e) Cyprian. de laude Martyr. (f) Aug. in Ep. Ioan. tr. 2.  
vid. considerat. 13. p. 2.

## 302 CONSIDERATIO XVIII.

tas est. Quæ cùm impleverint vel  
mentem vel ventrem tuum, Christus  
in te non inveniet locum. Quomodo  
ignis & aqua simul esse non possunt,  
sic spirituales & carnales delitie in eo-  
dem se non compatiuntur. (g) Quem-  
admodum nemo potest oculum unum  
in cœlum tollere, & alterum humi-  
desfigere: ita mens nequit, quæ Dei,  
& quæ mundi sunt, simul curare. (h)  
Pensa, mi Frater, sæpiissimè, & scito  
certissimè, quia quos allicit dulcedo  
sæculi, eos occupat æterna amaritudo:  
& quos attrahit suavitas Dei, eos sa-  
tiat perpetua beatitudo. Certè verum  
est, non est falsum; verum, inquam,  
est, quod dicit Scriptura Dei per os  
amici Dei: Quia amicus sæculi hujus,  
constituitur inimicus Dei. Utique sic  
est omnino, est immutabile. Non sunt  
verba tantum audienda, sed & terri-  
fice metuenda. Si igitur non amas  
constitui inimicus Dei, horre exe-  
crando esse amicus hujus sæculi. Ami-  
cus autem sæculi hujus est, quicum-  
que sæcularis delectationis amicus est.  
Rogo ergo te, ne ames sæcularia

(g] Fernard. ep. 2. (h] Isai. Abbas orat. 15.  
de mundi renunt,

oblectamenta. (i) Frustra (*inquit Cyprianus agens de jejunio & temptationibus Christi*) regna hujus mundi transitoria & mutabilia immutabili & æterno Regi ostendit vel promittit diabolus, cùm ipse dicat regnum suum de hoc mundo non esse: non quòd creationem suam, dæmonum subjecerit potestati; sed quia in his, qui amorem mundi Dei amori præponunt, non dignetur Divinitas sibi mansionem facere: & impossibile sit, eos à Deo regi, qui se diabolo tradidere: quia Christi & Belial nulla est participatio, nec aliqua justitiæ cum iniquitate potest esse communio. Règnum hoc non est naturæ, sed malitiæ; persecutio est, non defensio: & tota hujus potestatis virtus in mortem damnationemque eorum, qui sub hoc principe militant, elaborat. In hoc regno sunt quicumque veritatem Dei commutant in mendacium (Rom. 1.); quicumque, quasi in taberna vitiorum præcones, venales animas impurissimis dæmonibus corrumpendas exponunt. Hic avaras manus cupidi muneribus complicant; hic genuflexo concupis-

(i) Anselm, l. I, ep. 8.

## 304 CONSIDERATIO XVIII.

centiæ suæ quisque idolum colit, & propriæ libidinis adorat simulachrum. Non hæc te, Domine JESU, gloria movet; non hujus mundi tu tenes imperium; non horum cupidine tu cadis, aut prosterneris; non adoras malitiam, non peccato subjiceris: qui servis tuis dæmonia subdis, & omnem hujus mundi gloriationem destruis & confundis. *Hæc præclarè Carthaginensis ille Antistes: quibus addo efficacissimam melliflui Abbatis ratiocinationem, ex ipso Christi in terras ingressu, & de terrenis rebus judicio.* Nasciturus Dei Filius (cujus in arbitrio erat, quodcumque vellet, eligere tempus) elegit quod molestius, præsertim parvulo, & pauperis matris Filio, quæ vix pannum haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum.... Non est tale judicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est Sapientiam. Meritò proinde & carnis prudentia (mors siquidem & ipsa) inimica est Deo, & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur. *I. Cor. 3. Quid enim? Christus utique qui non fallitur, elegit quod carni moleſ-*

MUND. CHRISTO OPPOS. 305

tius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: & quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cavendum. Christus eligit, quod salubrius judicat: vos eligitis, quod reprobavit ille. Quis prudentior è duobus? Cujus judicium justius? cuius sententia sanior? Quid elegit stabulum? Planè, ut reprobet gloriam mundi, damatet sæculi vanitatem. Necdum loquitur lingua; & quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, evangelizant. Ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi judicium arguitur, subvertitur, confutatur. (k) Et adhuc dubitas, Christiane, Christumne an mundum sequaris? Christo, an mundo adhæreas? Qui non est mecum, ait Christus, contra me est. (l) Et ejus Discipulus: Qui dicit se in ipso (Christo) manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. (m) Si mundum sequeris, cum mundo Christum odio habes, & contemnis. Audi Augustinum in illa Ps. 30. Muta fiant labia dolosa: quæ loquuntur adversus justum iniqitatem in superbia & in abusione;

(k) Bernard. serm. 3. in Natal. Dom. (l) Matth.

12. (m) 1. Ioan, 2,

## 306 CONSIDERATIO XVIII.

vel, ut ipse legit, & contemptu. si autem habet. Justus iste Christus est. Multa labia loquuntur adversus eum iniquitatem in superbia & contemptu. Quare in superbia & contemptu? Quia contemptibilis superbis apparuit, qui tam humilis venit. Non vis ut contemnatur ab eis qui honores amant, ille qui tantas contumelias accepit? Non vis ut contemnatur ab his, qui pro magno habent istam vitam, ille qui mortuus est? Non vis ut contemnatur ab eis, qui quasi damnationis mortem crucis turpem putant, ille qui crucifixus est? Non vis ut contemnatur à divitibus, ille qui pauperem vitam gessit in mundo, cùm esset creator mundi? Omnia ista quæ amant homines, quia noluit illa habere Christus, ut non habendo ostenderet contemnenda, non quia in potestate non habuit possidenda: omnes qui amant hæc, contemnunt illum.

III. Non potuit consistere Dagon juxta Arcam Domini, quantumvis ad id totis viribus contenderent Philisthai. (a) Nunquam apparuit Deus Moysi in Ægypto (qua est

(a) I. Reg. §.

MUND. CHRISTO OPPOS. 307

figura hujus sacerdotii) moranti, sed in deserto,  
procul à terreno strepitu; nec prius potestatem  
illi fecit accedendi rubum, qui ardebat  
& non comburebatur, quām solveret cal-  
ceamentum de pedibus suis: locus  
enim, inquiens, in quo stas, terra sancta  
est, à peculiari Dei præsentia. (b) Nempe  
nudum eum esse oportet, qui ad Deum cu-  
pit accedere. Idem Moyses infans à filia  
Pharaonis nutrici datus, renuit lac genti-  
lium seminarum sugere, solius hebraæ mu-  
lieris (& hæc, solerti sororis arte, infantis  
ipsius mater fuit) (c) lac admisit; (d) ostendens  
se de Hebreis, populo Dei electo, non  
de Gentilibus & Ægyptijs, terra dilectori-  
bus, esse. Idem impositum sibi puerulo dia-  
dem Pharaonis in humum dolabi passus,  
pedibus calcavit: unde conjectavit mox A-  
riolus, hostem illum Ægyptiorum fore. (e)  
S. verò Paulus de eo sic scribit: Moyses  
grandis factus negavit se esse filium  
filiarum Pharaonis: magis eligens affligi  
cum populo Dei, quām temporalis  
peccati habere jucunditatem, majores  
divitias aestimans thesauro Ægyptio-  
rum, improperiū Christi: aspiciebat  
enim in remunerationem. (f) Vnde hor-

(b) Exod. 3. (c) Exod. 2. (d) Ioseph. lib. 2. Antiq.  
E. 5. (e) Ioseph. ibid. (f) Hebr. 11.

## 308 CONSIDERATIO XVIII.

tatur Ambrosius : (e) Contemne quæ  
sæculi sunt, & Dominicæ passionis op-  
probrium contende omnibus præferre  
divitiis. Opprobrium dico, quod illis  
videatur opprobrium, hoc est, Judæis  
scandalum, Gentibus stultitia; nobis  
autem virtus Dei atque sapientia (I.  
Cor. 1.) Sed hoc Pharao opprobrium  
putans, hoc est, inopiam, ignobilita-  
tem, contumelias, maluit diaboli esse,  
quàm Dei portio. *Quid tu, mi Christia-  
ne?* Cujus tu portio es? cuius deinceps  
esse vis? Diaboli, an Dei? Psallebat, &  
ex vero dicebat vir ille secundum cor Dei:  
Portio mea Domine: dixi custodire le-  
gem tuam. (b) Et iterum: Domine, tu  
es spes mea, portio mea in terra viven-  
tium. (i) Quàm rarus in terris, qui  
potest dicere, Portio mea Dominus!  
quàm alienus à vitiis, quàm segregat-  
us ab omni labe peccati, qui nihil  
habeat commune cum sæculo, nihil  
hujus mundi vendicet sibi, non sit  
corporalium possessio cupiditatum;  
quem non inflammet libido, non stir-  
mulet avaritia, non lascivia effemi-  
net, non luxuria decoloret, non sternat

(g) In Ps. 118. serm. 8. (h) Ps. 118. (i) Ps. 141.

MUND. CHRISTO OPPOS. 309

ambitio, non maceret invidia, non aliqua sacerdotalium negotiorum cura solicitet; Deo, non sibi, natus. (k) Is enim verò ex illorum numero est, quibus scribit Apostolus: Estis cives Sanctorum, & domestici Dei. (l) Qui enim domesticus est Dei, exul est mundi: qui conversatur in cœlestibus, peregrinus est terrenis. (m) Talis, cum innumeris aliis Christi affectis, fuit Theodorus Archimandrita, qui adhuc puer, istâ Iacobi sententiâ, Amicus hujus saeculi inimicus Dei constituitur, commotus & compunctus, mundum opesque contempsit. (n) Talis voluit esse, atque adeò fuit Amandus, Sereni Aquitanorum Ducis filius, postea Trajectensi insulâ & sanctitudine clarissimus: Cum enim Pater eum multis à sancto arctioris vite instituto amovere laboraret, hanc illi tandem gravissimam sententiam retulit: Terrena non appeto; tantum mihi permitte, ut Christo militem. (o) Talem volebat Paulinus militem illum, cui ipse sic scribebat: (p) Nihil est, benedictæ fili, quod possit, aut debeat præferri ei, qui est verus Dominus, & verus Pater, & Imperator

(k) Ambr. suprà. (l) Ephes. 2. (m) Ambr. in Ps. 118. serm. 7. (n) A Lapide in Iac. 4. (o) Molan. Natali SS. Belg. 5. Febr. (p) Ep. 39.

310 CONSIDERATIO XVIII.

æternus. Cui enim rectius vitam nostram impendimus, quam illi, à quo accepimus; & cui eam usque in finem debemus, quia ipsius beneficio vivimus? Si tamen in hoc sæculo illi militaverimus, tunc ad ipsum transire merebimur. Quòd si magis dilexerimus hoc sæculum, & maluerimus Cæsari militare, quam Christo; posteà non ad Christum, sed ad gehennam transferemur, ubi principum hujus sæculi causa vertitur. Hactenus Nolanus Praefit; cui consonat Augustinus, quem ille ut patrem suum ac institutorem coluit. Nemo se circumveniat, Fratres charissimi. Unusquisque, cuius opera & voluntates exercet in hoc sæculo, cum ipso erit postmodùm in futuro. Ac sic omnis homo aut cum Christo regnatus est, aut cum diabolo in inferni supplicio cruciandus. (q) Et Hieronymus: Difficile, imò impossibile est, & præsentibus quis & futuris fruatur bonis; ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat; ut de delitiis transeat ad delitias; ut in utroque sæculo primus sit; ut & in cœlo, & in terrâ appareat

(q) Aug. serm. 83. de Tempore.

## MUND. CHRISTO OPPOS. 311

gloriosus. (r) Et adhuc tergiversaris, mi  
bone, spredo mundo, Christo soli adhærere?  
Audi fulminantem, & tremere. Qui me  
erubuerit & meos sermones, hunc fi-  
lius hominis erubescet, cùm venerit in  
majestate sua & Patris & sanctorum  
Angelorum. (s) Noli itaque erubef-  
cere testimonium Domini nostri. (t)  
Dic cum Paulo Apostolo, & moribus affere:  
Non erubesco Evangelium. (u) Ita di-  
xit, ita vixit, & sepulchro suo inscripsit Pau-  
lus Kostka Beati Stanislai Frater, amplis  
facultatibus piè distributis, voluntariam pau-  
pertatem amplexus; significans (ut sub-  
dit Historicus noster) (x) vitam sibi ino-  
pem, quamvis mundo ignobilem, ultrò  
delectam; quòd è schola esset non  
mundi, sed Christi: nec rubori sibi, sed  
splendori ducere, quod cœlestis Magi-  
ster re & oratione optabile & glorio-  
sum demonstrarat, ac fecerat. Ita si  
Evangelium, si Christum non erubueris; au-  
dies, quod olim Martyrius Monachus, à quo  
specie leprosi humanissimè acceptus fuerat  
ipse Christus: Martyri, tu me non eru-  
buisti super terram; ego te non eru-  
bescam super cœlos. (y)

(r) Hieron. ep. ad Julian. (l) Luc. 9. (t) 2. Tim. 1.

(u) Rom. 1. (x) Sacchin. histor. Soc. p. 3. l. 4.

[y] Greg. hom. 39. in Evang.



## CONSIDERATI<sup>O</sup> XIX.

*ANIMA MUND<sup>O</sup> CAPACIOR.*

I. **A**it Dominus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus coeli, & bestiis, universæque terræ, omniq[ue] reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: (a) Ad similitudinem Dei fecit illum. (b) Cetera dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. (c) Ut homo fiat, specialis quidam accedit hortatus, ut tanquam laborantis Dei, in hujus munere creaturæ, significetur operatio. Deus quidem expers laboris est, sed tamen Scripturæ verba quid aliud, quam studiosam tui ob gratiam operationem ejus ostendunt? Ergo si Deus majore quodam studio te creavit, cur ipse tui studium relinquis? Si Deus in te laboravit, qui laborare non nō vit,

(a) Genes. 1. (b) Gen. 5. (c) Ps. 148.

vit, cur ipse fugitans sis laboris? (d) Manus tuæ fecerunt me, & plasma-  
verunt (*sive, ut legit Ambrosius*, para-  
verunt me.) (e) Dic ipse David, quid  
senseris, cur dixeris: Manus tuæ fece-  
runt me?... Hoc est dicere: Bestias non  
fecerunt manus tuæ, sed dixisti: Pro-  
ducant aquæ reptilia animarum viven-  
tium: & produxit terra secundum  
genus quadrupedia, & reptilia, &  
bestias terræ. Genes. 1. Me autem,  
inquit, fecisti, me tuis manibus figu-  
rasti. Non mediocre opus est quod  
paratum est, cum sapientia unumquod-  
que disponitur & paratur.... Non vile,  
non corporale aliquod arbitror, quod  
paravit Deus. Nosce te ipsum, homo:  
tuæ animæ dicitur in Canticis Canti-  
corum: Nisi cognoveris te formosam  
in mulieribus. Cant. 1. Cognosce te  
anima, quia non de terra, non de  
luto es, quia insufflavit in te Deus,  
& fecit in animam viventem. Opus  
est magnificum, Dei generatione ins-  
piratum. Attende tibi, ut lex dicit:  
tibi, id est, animæ tuæ. Sæcularia te  
& mundana ne teneant, terrestria non

## O

(d) Ambr. in Ps. 118. seq. 10. (e) Ps. 118. (1)

## 314 CONSIDERATIO XIX.

morentur. Ad illum totâ intentione festina, ex cuius inspiratione consistit. Disce homo, ubi grandis & pretiosus sis. Vilem te terra demonstrat, sed facit imago pretiosum. An quidquam tam pretiosum, quam imago est Dei? (f) Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me. (g) Manus dicit pluraliter, non manu. At verò alibi ait: Ego manu meâ solidavi cœlum; &, manus mea fecit hæc. In hominis constitutione videtur non abundare, quod toto mundo, ut fieret, abundavit. Cœlum una firmavit manus, ut scriptum est: & utraque Dei manus hominem figuravit, ut legimus. Cœlum non ad similitudinem, homo ad similitudinem. Angeli enim ad ministerium, homo ad imaginem. Esto ut & Angeli ad imaginem, Scriptura tamen de homine locuta est, quod sit ad imaginem. Habemus enim aliquid, quod fortasse Angeli non habeant. (h) Domine, quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam reputas eum? gloriâ & honore coronasti eum,

(f) Ambr. ibid. (g) Iob. 10. (h) Ambr. suprad.

ANIMA MUNDO CAPAC. 315

& constituisti eum super opera manus tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. (i) Magnum ergo opus Dei es, homo; magnum est quod dedit tibi Deus. Vide ne quod Deus tribuit, amittas. Magnum illud munus, quod es ad imaginem Dei. (k) Cui subjecit Deus omnia, uni Deo subjiciatur, & dicat cum Psalte: Nonne Deo subjecta erit anima mea? Deo subjecta esto anima mea: (l) non seculo subdita, non mundo. (m) Nescit quod sub pedibus suis omnis mundana gloria subjaceat, qui conditionis suae dignitatem non pensat. (n) Et homo (prob dolor!) cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. (o) Quid est, in honore positus? Factus ad imaginem & similitudinem Dei, homo prælatus jumentis. Non enim fecit Deus sic hominem, quomodo fecit jumentum: sed fecit Deus hominem, cui servient jumenta. Numquid ejus viribus,

O ij

(i) Ps. 8. (k) Ambr. sup. (l) Ps. 61. (m) Ambr.  
de bono mortis c. 6. (n) Bernard. de inter. domo c.  
63. (o) Ps. 48.

## 316 CONSIDERATIO XIX.

& non intellectui? Ille autem non intellexit. (p) Noluit intelligere ut bene ageret. (q) Fiamus homines aliquando, & in cœlum erigamur; & quam habemus imaginem, eâ fruamur, ut futurorum bonorum fiamus participes. (r) Hæc dicit Dominus: Homo homo de domo Israël. (s) Miraris istam vocis Homo geminationem? Non superfluit illa. Audi Hieronymum ibi. Quodque secundò dicitur, Homo homo filiorum Israël; duplicem in nobis, iuxta Apostolum, ostendit hominem, exteriorum & interiorem. Multi enim habentes hominis faciem corporalem, diversarum bestiarum assumunt imagines, quas dissipari Propheta cupiens, deprecatur: Domine in civitate tuâ imaginem ipsorum dissipabis (vulgata habet, ad nihilum rediges) Ps. 72. Illi, de quibus scriptum est: Homo, cùm in honore esset, non intellexit &c. non sunt homines homines, sed sunt homines jumenta. Rursum, qui in Evangelio audiunt: serpentes genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Matth. 3. & 23.

(p) August. ibi. [q] Ps. 35. (r) chrysost. ho. 9. in 1. Cor. (s) Ezech. 14.

ANIMA MUNDO CAPAC. 317

non sunt homines homines, sed homines serpentes. &c. Hæc Hieronymus, quibus similia habes paucioribus verbis apud Ambrosium. (t) Quis autem es tu, mi Lector? Homo homo; an homo jumentum, vipera, sus, vulpes? Fecit Deus hominem rectum: & ipse se infinitis misericordiis questionibus. (u) Quibus autem? Intelliges ex Septuaginta, Pagnino, & ceteris qui ex Hebreo transferunt: Ipsi questionierunt cogitationes multas. Ac si diceret Scriptura: Admisit, & amplexatus est homo multas curas, & qui in simplicitate & rectitudine Deo assimilis creatus fuerat, ut uni Deo & cœlestibus intenderet, ceteris creatis superior; ad hæc caduca, terrena, & inania, infelix oculos & animum declinavit, séque velut in infinitas partes divisit, nunquam tamen illis explendus; utpote qui ad imaginem & similitudinem Dei conditus, velut alter quidam mundus in parvo magnus, (x) unius illius summi boni fruitione satiari possit. Satiabor cum apparuerit gloria tua. (y) Attende & hinc animæ tuae capacitatem: Nescitis quia templum Dei estis? (z)

O iii

(t) In Ps. 118. serm. 10. [u] Eccle. 7. (x) Greg. Nazianz. Orat. 2. in Pascha. (y) Ps. 16. (z) 1. Cor. 3.

## 318 CONSIDERATIO XIX.

Vos estis templum Dei vivi; (*aa*) quem cœlum, & cœli cœlorum capere non possunt. (*bb*) Regnum Dei intra vos est. (*cc*) Quid agis Frater in sæculo, qui major es mundo? (*dd*) Converte te ex toto corde tuo ad Dominum; & relinque hanc miserum mundum, & inveniet anima tua quietem. Da Christo locum, & ceteris omnibus nega introitum. (*ee*)

II. Quid indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cœlos liberè suspicere, cœlorumque luminibus obiectare aspectus; spiritualem verò cœlestemque creaturam suos è contrario oculos, id est, internos sensus atque affectus, trahere in terram deorsum; &, quæ debuit nutriti in croceis, hærere luto, tanquam unam de suibus, amplexarique stercora. Erubescet, anima mea, divinam in pecorinam commutasse similitudinem. Erubescet voluntari in cœno, quæ de cœlo es. (*a*) Cur enim bestiæ

(*aa*) 2. cor. 6. (*bb*) 2. Paral. 2. (*cc*) Luc. 17. (*dd*) Hier. ep. 1. ad Heliad. (*ee*) Kemp. de imit. l. 2. c. 1.  
(*a*) Bernard. serm. 24. in Cant.

omnibus deorsum in terram dejectos  
 fabricavit Deus oculos ; tibi verò in  
 capite tribuens , eos quasi in arce col-  
 locavit ? Annon , quoniam illis  
 nihil cum cœlo commune est ; tibi  
 verò tum à Deo , tum à natura ,  
 ut maximè cœlestia suspiceres , lege  
 à principio sancitum est ? Quare  
 tibi corpus excelsum & rectum fecit ;  
 illis verò contrà , ad terram abjectum ?  
 Annon hac via , & corporis præterea  
 formatione instruit te , ut nihil habeas  
 commune cum terra , neque fluxis re-  
 bus adhæreas ? ( b ) Ad imaginem &  
 similitudinem suam nos fecit Deus ,  
 quod nulli alii creaturæ donare voluit .  
 Ad imaginem Dei facti sumus , hoc est ,  
 ad intellectum & notitiam Filii , per  
 quem intelligimus & cognoscimus Pa-  
 trem , & accessum habemus ad eum .  
 Tanta cognatio est inter nos & Dei  
 Filium , quòd ipse imago Dei est , &  
 nos ad imaginem ejus facti sumus .  
 Oportet itaque id quod ad imaginem  
 est , cum imagine convenire , & non  
 in vanum nomen imaginis repræsen-  
 tare . Meminerit itaque anima Dei

O iiiij

(b) Chrysost. Orat. 1. de provident.

## 320 CONSIDERATIO XIX.

sui, ad cuius imaginem facta est, eumque intelligat, diligit, atque colat, cum quo potest semper esse beata. Beata anima, apud quam Deus requiem invenit, & in cuius tabernaculo requiescit. (c) Nimis ad imaginem Dei facta anima rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repletam omnino non potest. Capacem Dei, quidquid Deo minus est, non impletbit. (d) Quidquid praeter Deum curritur, mentem occupat, non satiat. (e) Satis ostendis, Deus meus, quam magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem, quidquid te minus est, ac per hoc nec ipsa sibi. Da mihi te Deus meus, redde mihi te. (f) Nempe, res quae sigillo aliquo notata est, solo illo perfici potest atque compleri: nam si aliud quidpiam ei applicetur, non illius rei varuitates replebuntur, sed impressa imago labefactabitur: ita homo qui divina natura imagine obsignatus est, sola illa compleri potest. Spiritus hominis, tanquam certa sigilli testatoris imagine signata, sic

(c) Bernard. Meditat. c. 1. (d) Idem Ecce nos reliquimus. (e) Blof. parad. animæ fid. p. 1. c. 14.  
(f) Aug. l. 13. Conf. c. 8.

imagine Dei signatus est. (g) Atten-  
de igitur, nobilis creatura, diligenter  
primæ conditionis tuæ excellentiam,  
& venerandam sanctæ Trinitatis ima-  
ginem in te ipsa agnosce; honorem-  
que similitudinis divinæ (ad quam  
creata es) habere stude nobilitate mo-  
rum, exercitio virtutum, dignitate  
meritorum: ut quando apparebit qua-  
lis sit, tunc similis ei apparere possis.  
similis enim similem quærerit; & qua-  
lem te paraveris Deo, talis necesse  
est appareat tibi Deus. (h) Quò de-  
vius ac præceps hominum amor rape-  
ris? Scis ea quæ tibi obveniunt, dili-  
gere, & ipsum te diligere nescis. Fo-  
ris est, quod amas; extra te est, quod  
concupiscis. Revertere potius in te,  
ut sis tibi tu charior quàm tua. (i) Et  
quid es tu, nisi quod fecit Deus?  
Negligis quod factus es; diligis quod  
fecisti. Amas extra te opera tua; ne-  
gligis in te opus Dei. (k) Si deseris  
eum qui te fecit, & amas illa quæ fe-  
cit, deserto illo qui te fecit, adulter

## O V

(g) Rupert. l. 2. in Genes. c. 21. (h) Bernard. de  
inter. dom. c. 68. (i) Eucher. parænet. (k) Au-  
gust. de verb. Dom. ferm. 54.

## 322 CONSIDERATIO XIX.

es. (l) Ad imaginem Dei factus es,  
ut superna aspicias, & terrena non  
quæras. Noli curvare cervicem tuam  
mundi premendam pondere; noli in-  
hiare auro & argento, ne te sæculi  
vinculis alligandum præbeas. (m) Ni-  
hil jam appetere, nihil desiderare de  
sæculo potest, qui sæculo major est.  
(n) Cunctis rebus anima præferatur,  
& virtutis cursus indefatigatè con-  
summabitur. (o) Nulli parcas, ut soli  
parcas animæ. (p) Finis humanæ crea-  
turæ est adhærere Deo: in hoc enim  
felicitas ejus consistit. (q)

III. *Alphonsus Aragonum Rex*, revol-  
vens opera Senecæ, rogatus cur animus ho-  
minis ita esset insatiabilis, respondit: Ani-  
mus hominis à Deo profectus, non  
priùs conquiescit, quām eò redeat,  
unde profectus est. (a) Quia fecisti  
nos Domine ad te; & inquietum est  
cor nostrum, donec requiescat in te.  
(b) Anima enim quam creasti, non ex  
de te, sed per Verbum tuum, non ex

(l) Idem 10. 10. hom. 38. [m] Ambr. in Ps.  
118. serm. 5. (n) Cyprian. ep. 2. ad Donat. (o)  
Nilus Ep. M. in sentent. (p) Hieron. ep. ad Rustic.  
(q) S. Th. l. 3. contra Gent. c. 115.  
(a) A Lapide in Eccl. 3. (b) Aug. l. 1. Conf. 6. I.

qualibet elementorum materia, sed ex nihilo; quæ quidem rationalis, intellectualis, spiritualis, semper vivens, semper in motu; quam signasti lumine vultus tui, & consecrasti virtute lavacri tui; ita facta est capax maiestatis tuæ, ut à te solo, & à nullo alio possit impleri. Quando autem te habet, plenum est desiderium ejus, & jam nihil, quod desideretur exterius, restat. Dum autem aliquid exterius desiderat, manifestum est quòd te non habet interiùs, quo habito nihil est quod ultrà desideret. Cùm enim sis summum & omne bonum, non habet quod desideret, sed possidet te omne bonum. Quòd si non desiderat omne bonum, restat ut desideret aliquid quod non est omne bonum; ergo nec summum bonum, sed potius creaturam. Cùm autem creaturam desiderat, continuam famem habet: quia licet quod desiderat de creaturis, adipiscatur, vacua tamen remanet, quia nihil est quod eam impleat nisi tu, ad cuius imaginem est creata. Imples autem tu eos, qui nihil aliud desiderant præter te; & facis eos dignos te,

## 324 CONSIDERATIO XIX.

sanctos, beatos, immaculatos, & amicos Dei; qui omnia reputant ut ster-  
cora, ut lucrifaciant te solum. (c)  
Ita Deum suum desiderabat, ita eo uno &  
solo repleti se posse noverat, qui psallebat:  
Quemadmodum desiderat cervus ad  
fontes aquarum: ita desiderat anima  
mea ad te Deus. Sitivit anima mea  
ad Deum fortem vivum: quando ve-  
niam, & apparebo ante faciem Dei?  
(d) O fons vitae, vena aquarum vi-  
ventium! quando veniam ad aquas  
dulcedinis tuas, de terra deserta, invia,  
& inaquosam, ut videam virtutem tuam,  
& gloriam tuam, & satiem ex aquis  
misericordiae tuae sitim meam? sitio  
Domine; fons vitae, satia me, sitio  
Domine: sitio te Deum vivum. (e)  
Bone Iesu, utinam tu solus cor meum  
possideres! Utinam prorsus contem-  
nerem omnia transitoria! Utinam te  
solum quærerem, tibi soli afficeret,  
tibi indissolubiliter inhærerem! Uti-  
nam ardentissime te amarem! Utinam  
æstuantissimis desideriis jugiter anhe-  
larem ad te! (f) Veni Domine Iesu,  
aufer scandala de regno tuo, quod est

(c) Aug. soliloq. c. 30. (d) Ps. 41. (e) Solil. Augus. c.  
35. (f) Bls. parad. anime fidel. P. I. c. 22.

ANIMA MUNDO CAPAC. 328

anima mea ; ut regnes tu ( qui debes ) in ea. Venit enim avaritia , & vendicat in me sibi sedem ; jactantia cupit dominari mihi ; superbia vult esse rex. Luxuria dicit : Ego regnabo. Ambitio , detractio , invidia certant in meipso de meipso , cuius ego potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo , resisto ; renitor quantum juvor ; Dominum meum JESUM reclamo , ipsi me defendo , quia ipsius me juris agnosco ; ipsum mihi Deum , ipsum mihi Dominum teneo , & dico : Non habeo Regem , nisi Dominum JESUM. Veni ergo Domine ; disperge illos in virtute tua , & regnabis in me , quia tu es ipse rex meus , & Deus meus. (g) Signatum est supernos lumen vultus tui Domine. (h) Obsignasti nos imagine tua , & dixisti : Transite ad me omnes qui concupis- citis me , & à generationibus meis implemini. (i) Reddite quæ sunt Cæ- saris , Cæsari ; & quæ sunt Dei , Deo. (k) Et iterum : Aperi mihi soror mea. (l) Aperi mihi , sed extraneis claude , sæculo claude ; neque ipsa foras ad

(g) Bernard. hom. 4. super Missus. (h) Ps. 4.

(i) Eccli. 24. (k) Matth. 22. (l) Cantic. 5.

## 326 CONSIDERATIO XIX.

materialia prodeas.... Aperi ergo mihi,  
noli aperire adversario, neque locum  
des diabolo. Aperi ipsam te mihi;  
noli coarctari, sed dilatare, & adim-  
plebo te. (m) Ita se tibi uni totam ape-  
ravit, teque uno ac solo repleta est nobilis  
illa Virguncula, quæ tui amore languens,  
inter suavissimos, è sinu Matris Virginis,  
complexus, an. & quantum te amaret, à  
te sponso suo tertium rogata, amplius res-  
pondere non potuit, quàm disrupta, amo-  
ris vehementiā, corde, circumque insculptis  
aureis litteris: Diligo te plusquàm me,  
quia tu creasti, redemisti, & dotasti  
me. (n) Sic, sic se tibi aperiat anima mea,  
mi Deus, sic se saeculo claudat, te solo ex-  
plenda! Interēas exclamo dolens cum. Au-  
gustino tuo: (o) Heu miseria super mi-  
seriam! cùm misera anima mea à te  
refugit, cùm quo semper abundat &  
gaudet: & sequitur mundum, cùm  
quo semper eget & dolet. Mundus  
clamat, deficio: tu, Domine, clamas,  
reficio: & miseria mea prava magis  
sequitur deficientem, quàm reficien-  
tem. Planè infirmitas mea hæc est.  
Medice spirituum, sana illam.

(m) Ambr. l. de Isaac c. 6. (n) Cap. 74. Spec.  
exemp. dist. 9. (o) Soliloq. c. 13.



## CONSIDERATIO XX.

*ANIMA MUNDO PRETIOSIOR.*

I. **Q**uid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? (a) Nullam utique. (*subdit Dionysius Carthusianus*) (b) Ideò nihil proficit, si totum mundum lucretur, & animam suam neglexerit. Propter quod ait Psalm. Non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ. (c) Superat enim pretium animæ humanæ omnia bona hujus mundi, & ideò solus sanguis unigeniti Filii Dei, qui infiniti est valoris, pretium animarum esse potuit. (d) Attende pretium, *mi homo*, respice Dominum tuum. Considera quale pretium pro te dedit: sanguinem suum pro te fudit. Charum te habuit, quem tam charè redemit. (e) Deus proprio

(a) Matth. 16. (b) Ibi. (c) Ps. 48. (d) Bellarm. ibi. (e) Damasc. de die judicii. vid. Aug. 10. 19. de divers. ser. 49.

## 328 CONSIDERATIO XX.

Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. (f) Pulchro verbo usa est Scriptura, ut Dei Patris erga te pium propositum declararet, qui morti pro te totum obtulit. Quod in Patre fuit, nihil sibi ipse reliquit: totum pro te obtulit, quod in plenitude Divinitatis non amisit. Considera affectum patrium. Quod pietatis est, quasi morituri Filii suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, ut propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te dispendia nostra suscepit, ut te divinis infereret, cœlestibus consecraret. Mirè etiam addidit: Pro nobis omnibus tradidit illum: ut ostenderet quod omnes ita diligat, ut dilectissimum sibi Filium pro singulis tradaret. (g) Vnde & Paulus: In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. (h) Quam igitur dabit homo commutationem pro animâ suâ? Nec totus mundus sufficeret. Magna res anima, quæ Christi

(f) Rom. 8. (g) Ambros. l. 1. de Jacob, c. 6.  
(h) Galat. 2.

## ANIMA MUNDO PRETIOS. 329

fanguine redempta est. Gravis animæ casus, quæ non nisi Christi cruce potuit reparari. (i) Totus quidem iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest. Non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo est animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. (k) Initus est bonæ fidei contractus. Nemo fallit Redemptorem tuum, nemo circumvenit, nemo premit. Egit hic commercium: jam pretium soluit; sanguinem fudit: sanguinem, inquam, fudit unicus Dei Filius. O anima, erige te, tanti vales. (l) Empti estis pretio magno. (m) Non corruptilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati. (n) Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo: (o) Agnosce ergo, & gratias profitere: Magnum quidem mihi est de Deo, quod esse me sentio opus suum; sed multò plus est, quod tran-

(i) Bernard. ep. 74. (k) Bernard. medit. cap. 3.

(l) August. in Ps. 102. [m] I. Cor. 6. (n) I. Petr. 1. (o) Apoc. 1.

## 330 CONSIDERATIO XX.

siisse ipsum video in pretium meum: quandoquidem tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. (p) In trutina ergo crucis, non aurum vel argentum, non corpus aliquod Angelicum, sed semet ipsum passus est author salutis appendi, ut homini, qui ab statu degeneraverat, naturæ suæ dignitatem vel ipsa ostenderet pretii magnitudo. (q) Domine, quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? (r) Respiremus, Fratres, & si nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. O Pater misericordiarum, ô Pater miserorum, quid apponis erga eos cor tuum? Scio, scio: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? (s) At quomodo & cur homo thesaurus Dei, adeò pretiosus in conspectu ejus, ut pro illo redimendo seipsum exinaniverit, sanguinem fuderit unicus Filius Dei? Miraris, & merito quidem, ac nisi te ipsum cognoveris, non intelliges. Audi Ter-

(p) Euseb. Em̄iss. hom. 6. de Pasch. (q) Euseb. Em̄iss. hom. 2. de symbolo. (r) Iob 7. (s) Bernard. serm. 5. in dedic. Eccl.

ANIMA MUNDO PRETIOS. 331

tullianum: (t) Meritò se pro suo homine depositus, pro imagine & similitudine suâ, non alienâ. Audi Ambrosium. (u) Dominus tanquam speciosa mancipia, quæ ad imaginem & similitudinem sui fecit, idoneus sui operis æstimator, magno pretio nos redemit. O pulcherrima inter mulieres, (x) à anima inter creatu. omnia longè pretiosissima, opus manuum Dei, imago, soror, sponsa, amica, templum, hæres Dei, co-hæres Christi, merces ejus mortis & sanguinis, attende tibi, adhære Deo tuo, Redemptori tuo, sposo, fratri, Domino, & dic: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. (y) Ego ex eo pendeo, atque illi meipsam dicavi: nam & ipse me orbi prætulit, & sibi copulavit. (z) Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus. (aa) Illi enim meipsam addixi, & consecravi, & alienam omnem consuetudinem contempsi: nam ipse me quoque ceteris antetulit, & ad me se- se convertit. (bb) Discamus Christo nihil præponere, quia nec nobis quid-

(t) L. 4. contra Marcion. c. 21. (u) L. 7. in c.  
1.2. Luc.e. (x) Cant. 1. (y) Cart. 6. (z) Theo-  
doret ibi (aa) Cant. 7. (bb) Theodor. ibi.

## 332 CONSIDERATIO XX.

quam ille præposuit. (cc) Quid ergo te, ô homo, erubescendis cupiditatibus exhonoras? Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam. Quàm pretiosus sis, si factorem fortè non credis, interroga Redemptorem. (dd) Quid est quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? (ee) Ecce in manibus meis descripsi te. (ff) Redemi te, & vocavi te nomine tuo: Meus es tu. Ego Dominus Deus Israël Salvator tuus. Ego dilexi te. (gg) O Domine, quia ego servus tuus. Dirupisti vincula mea. (hh) Redemisti me Domine Deus veritatis; (ii) Diligam te Domine, liberator meus: (kk) cuius sum ego, & cui deservio. (ll)

**I I.** Quid inane quærimus lucrum, pretiose animæ detrimentum? Exiguus tibi est totus mundus præ unius animæ dispendio. Quid enim profest homini, si hunc mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam commutationem da-

(cc) Cyprian. lib. de orat. Dom. [dd] Euseb. Emiss.  
ho. 2. de symb. (ee) Isai. 5. (ff) Isai. 49.  
(gg) Isai. 43. (hh) Ps. 115. [ii] Ps. 30.  
(kk) Ps. 17. (ll) Act. 27.

ANIMA MUNDO PRETIOS. 333

bis pro anima tua? Non auro redi-  
mitur, non argento, imò auro amit-  
titur. (a) Damna animæ totum peni-  
tùs secum auferunt; nec quidquam  
homo omnino habere poterit, qui  
seipsum damno animæ pereuntis amit-  
tit. Et ideo nihil dubites pro te dare,  
quia si te amiseris, omnia in te perdis:  
si autem te lucrifeceris, tecum & in  
te omnia possidebis. (b) Proinde non  
potest ulla compendii causa consiste-  
re, si constet animæ intervenire dis-  
pendium. Ubi salutis damnum est, il-  
luc utique jam lucrum nullum est. Quo  
enim lucrum capiatur, nisi capiendo  
sedes inconcussa servetur? Atque id-  
circo ad illud lucrum verum, ad illud  
sanctum expetendumque commercium,  
dum tempus est, properemus. (c) Nam  
licet pretiosarum vestium more pur-  
pura in imagines currat, & lentescen-  
tibus foliis erret ad speciem, nec de  
effossis gravia, quibus incumbis, de-  
sint metalla thesauris; vana tamen,  
nisi fallor, ista atque inania compu-  
tabuntur, si adjacentibus tibi cunctis,  
sola salus tibi deesse videatur: sicut

(a) Ambros. de bono mort. c. 5. (b) Salviān. l. 3.  
ad Eccles. (c) Eucher. parænet.

334 CONSIDERATIO XX.

Spiritus sanctus loquitur, nihil nos in  
vicem animæ nostræ posse dare: ait  
enim Si totum orbem lucifeceris, &  
animam tuam perdidderis, quid pro-  
derit tibi &c. <sup>a</sup> Matth. 16: Vana enim  
sunt universa, quæ cernimus, & quæ  
infirmis radicibus posita, soliditatis  
suæ vim nequeunt sustinere. <sup>(d)</sup> Ag-  
nosce, ô Christiane, dignitatem tuam;  
& divinæ consors factus naturæ, noli  
in veterem vilitatem degeneri con-  
versatione redire. Memento, cuius  
capitis, & cuius corporis sis mem-  
brum. Reminiscere, quia erutus de  
potestate tenebrarum, translatus es  
in Dei lumen & regnum. Per Baptis-  
matis sacramentum, Spiritus sancti  
factus es templum. Noli tantum ha-  
bitatorem pravis de te actibus effuga-  
re, & diabolicæ iterum subjicere ser-  
vituti: quia pretium tuum sanguis est  
Christi, qui in veritate te judicabit,  
quia misericordiâ te redemit. <sup>(e)</sup> Pre-  
tium animæ non est ne universus qui-  
dem mundus. Et ideo dicebat: Quid  
prodest homini si universum mundum  
lucretur &c. <sup>b</sup> Ut autem scias, ne

<sup>(d)</sup> Cyprian. de laude martyrii. <sup>(e)</sup> Leo serm. 1.  
de Nativ.

## ANIMA MUNDO PRETIOS. 335

universum quidem mundum esse pretium , audi quidnam Paulus dicat de aliis Sanctis : Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis , egentes, angustati , afflitti ; quibus dignus non erat mundus. Hebr. 11. Mundus enim est propter animam.... Vis scire quantum sit pretium animarum ? Redempturus eas Unigenitus , non mundum dedit, non hominem , non terram , non mare, sed suum pretiosum sanguinem. Quocirca dicebat Paulus : Pretio empti es- tis : nolite fieri servi hominum. 1. Cor. 7. Vidisti magnitudinem pretii ? Quando ergo eam tanti emptam per- dideris , quomodo poteris eam dein- ceps emere ? Christus enim à mortuis suscitatus non amplius moritur. Vidisti quām sit pretiosa anima , & quanta sit ejus dignitas ? Vide ergo ne eam ne- gligas , & captivam facias. (f) Nam pecuniae , vel id genus alterius rei qui fortè jacturam fecerit , par pari hosti- mentum dare potest. At qui fecerit animæ suæ , aliud non habet , quo dare possit. Verum sit rex licet , ip- siusque orbis imperium habeat , nun-

(f) Chrysost. in Ps. 48.

## 336    CONSIDERATIO XX.

quam tamen vel unam emere animam , quamuis impendat universa, valuerit. Quapropter , ceteris omissis, ad unam , oro , hanc ipsam excolendam , nostrum omne studium convertamus. (g) Novit dæmon ipse , adversarius tuus , quām pretiosa sit anima tua , præ quā cetera omnia parvo atque adeò nihilo astimat. Extende , inquit ille Deo de Iob , paululūm manum tuam , & tange cuncta quæ possidet. (h) Paululūm verò manum postulat extendi , quia exteriora sunt , quæ expetit conteri. Neque enim satan facere se aliquid multum putat , nisi cùm in animâ sauciatur , ut ab illâ patriâ seriens revocet , à qua ipse longè telo superbiæ suæ prostratus jacet. (i) Vnde paulò inferiùs idem satan : Pellem , inquit , propelle , & cuncta quæ habet homo , dabit pro animâ suâ. (k) Quæ verba expendens Salvianus : Dilectissimam , inquit , esse animam suam homini etiam diabolus non negavit : & qui avertere omnino cunctos ab affectu animatum suarum nititur , idem tamen charissimas

(g) Idem in 16. Matth. (h) Iob , 1. (i) Gregor l. 2. mor. c. 6. (k) Iob . 2.

mas esse debere cunctis suas animas  
confitetur. Quis ergo furor est, viles  
à vobis animas vestras haberí, quas  
etiam diabolus putat esse pretiosas ?  
Quis furor est, viles à vobis haberí,  
quas etiam ille charas vobis debere  
esse dicit, qui viles facere conatur ?  
Ac per hoc, quicumque animas suas  
negligunt, etiam infra judicium dia-  
boli se amant. (l) *Præfert dæmon ani-*  
*mam terrenis omnibus, quandoquidem, ut*  
*animam lucretur, ostendit omnia regna*  
*mundi, & gloriam eorum, & ait :*  
Hæc omnia tibi dabo, si cadens ado-  
raveris me. (m) *Quid tu suggestenti res-*  
*pondes ? responde cum Christo : Vade sa-*  
tana. (n) Dic lustrali signo fretus :  
Ipse quoque imago Dei sum : nondum  
à superna gloriâ ut tu propter super-  
biā deturbatus sum ; Christum indui,  
in Christum transmutatus sum ; tu me  
ipse adora. (o) Sed, ô recordiam ! ô  
amentiam ! non pro toto mundo, non pro  
omnibus regnis mundi, sed pro pomo, pro  
re vilissimâ, momentaneâ, stercoreâ, pro  
nihilo das diabolo animam tuam. Porrigit

P

(l) *Salvian. l. 3. ad Eccles.* (m) *Matth. 4.* (n)  
*ibid.* (o) *Nazianz. orat. in sanctum Baptisma.*

338 CONSIDERATIO XX.

ille pomum , & surripit paradisum. (p)

Quanta iniquitas , & quām lugenda  
perversitas ! ut animam , quam Chris-  
tus sanguine suo redemit , luxuriosus  
quisque propter unius momenti de-  
lectationem libidinis diabolo vendat.

(q) Quod ait Apostolus ( Rom. 7. )

Venumdatus sub peccato. Intelligendū  
est , quōd unusquisque peccando ani-

mag suam diabolo vendit , accepto  
tanquam pretio dulcedine temporalis  
voluptatis. (r) Verē mendaces filii ho-

minum in stateris. (s) Homines cor-  
rupta habentes animi judicia.... Malē  
libram expendis , mala pro bonis eli-  
gens , vana veris anteponens , momen-  
tanea perpetuis potiora ducens , tran-  
sitoriam denique voluptatem pro læ-  
titia nunquam desiturā ac perpeti  
præelicens. (t)

III. Discamus ergo , Fratres , ama-  
re animas nostras. Omnis voluptas  
sæculi transitoria est. Est amor utilis,  
est amor noxius : amor amore impe-  
ditur. Amor noxius recedat , & amor

(p) Bernard. de grad. humil. cap. de curiositate.  
(q) August. ser. 250. de Temp. (r) Idem exposi-  
tio proposit. ep. ad Rom. (s) Ps. 61. (t) Basil. homi-  
nem Ps. 61.

## ANIMA MUNDO PRETIOS. 339

utilis succedat. (a) Rectè ac utiliter amabat animam suam, quam pretiosam noverat, qui psallebat: Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicum meum. (b) Et iterum: Anima mea in manibus meis semper. (c) Quæ verba explicans mellifluus Doctor: Sicut, inquit, quod in manibus tenemus, non facilem obliviscimur: sic nunquam obliviscamur negotium animalium nostrarum; & illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris. (d) Et S. Eucherius: Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant, summasque sollicitudinis partes salus, quæ summa est, vendicet: hæc nos occupet in præsidium & tutelam sui, jam non planè prima, sed sola. (e) Huic uni negotio vacabat nominatissimus ille doctrinæ & vita præstantia Bellarminus, qui à Cardinali Ursino interrogatus, num, quod illi commendaverat negotium, premeret: Nihil, respondit, me premit quæ salutis meæ cura. (f) Est anima thesaurus, pro quo seipsum obtulit & tradidit Filius

P ij

(a) August. 10. 10. hom. 37. (b) Ps. 21. (c) Ps. 118. (d) Bernard. ser. 3. vigil. Nativ. (e) Eucher. parænet. (f) Cap. 17. ejus vita.

34<sup>o</sup> CONSIDERATIO XX.

Dei. Deprædari desiderat, qui theſlau-  
rum publicè portat in via; (g) *in via  
Ægypti, in via ſpatioſa bujuſ ſaculi.* Cuſ-  
todi igitur temetipſum, & animam  
tuam ſollicitè. (h) *Monebat Moyses po-  
pulum, quem redemerat Dominus de manu  
inimici, dedomo ſervitutis.* Nec conten-  
tus iſtā unā monitione in re tanti momenti,  
iterum ſollicitè idem monet eodem capite:  
*Cuſtodite igitur ſollicitè animas veſ-  
tras. Ni mirum anima depositum eſt, quod  
Christus ſanguine ſuo redemptum, nobis  
comiſſit, omni curā ac ſollicitudine cuſto-  
diendum.* Quid ego infelix ( exclamat  
*Bernardus, ſedulus alioqui depositarius* )  
quò me vertam, ſi tantum theſaurum,  
ſi pretiosum depositum iſtud, quod  
ſibi Christus ſanguine proprio pretio-  
ſius judicavit, contigerit negligentius  
cuſtodire? Si ſtillantem in cruce Do-  
mini ſanguinem collegiſſem, eſſetque  
repoſitus penes me in vase vitreo,  
quod & portari ſæpius oportereſ; quid  
animi habiturus eſſem in diſcrimine  
tanto? Et certè id ſervandum acce-  
pi, pro quo mercator non insipientis  
( ipsa utique Sapientia ) ſanguinem il-

(g) *Gregor, hom. II, in Evang.* (h) *Dentif. 4.*

lum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus , & quibus multò plura , quām vitreis , immine-re pericula videantur. ( i ) Custodi igitur animam tuam sollicitē. Ita custo-diebant gloriōsi pugiles Adrias & ejus filii , qui , quod Christum colerent , comprehensi , Iudici Secundiano sollicitē perquirent de pecuniā , responderunt : Quod habuimus , in pauperes expendimus : Thesauri nostri animæ nostræ sunt , quas perdere nullatenus volumus. ( k ) Sic custodiebant fortissimi illi quadraginta Martyres ; de quibus Nyssenus : ( l ) Unus eis solus metus erat , ne à Christo se jungerentur ; unum bonum , esse cum Christo solo , cetera verò omnia risus & umbra , nugæque , & somniorum visis similia. Sic innumeri alii hodiéque custodiunt nobile Christi depositum , qui pro fide , pro virtute , pro Deo ac Redemptore suo , contemptis sæculi vanitatibus , carnisq; illecebris , sæculo majores , seipsis for-tiores , fideli Creatori commendant animas suas in benefactis. ( m ) Prin-

P iii

[i] Bernard. serm. 3. de adventu Dom. [k] Baron. an. 289. n. 17. [l] Orat. de 40. Martyrib. (m) 1. Petr. 4.

## 342 CONSIDERATIO XX.


cipes sacerdotum , acceptis triginta  
argenteis ( quos Christi proditor Iudas re-  
tulerat , & in templo projecerat ) dixerunt:  
**N**on licet eos mittere in corbonam ,  
quia pretium sanguinis est. (n) At vos  
verò , sacerduli dilectores , quò tandem mitti-  
tis pretium sanguinis Christi , animam,in-  
quam , vestram? in domum fumo reple-  
tam ( ita mundum hunc appellat S. Pe-  
terus , Clementem , suum postea successorem ,  
instruens ) (o) in laculum pertusum  
(p) vanitatibus , in cloacam voluptatum.  
**P**arcite , obsecro , Fratres , parcite a-  
nimabus vestris ; parcite sanguini , qui  
pro vobis effusus eit. (q) Lenocinantis  
mundi fraudibus opponite nunquam satis re-  
petendam expendendamque illam Redempto-  
ris sententiam : Quid prodest homini , si  
mundum universum lucretur &c.?  
**I**ta Bonifacio Comiti suggerebat Augustinus ,  
(r) deinde subjungens : Noli diligere  
mundum , nec ea quæ in mundo sunt.  
Ecce consilium arripe , & age. Hic  
appareat si vir fortis es : vince cupi-  
ditates , quibus iste diligitur mundus.  
**I**ta suggerebat & in primis commendabat

(n) Matth. 27. (o) Clemens. Rom. l. 1. Recognit.  
(p) Aggei 1. (q) Bernard. de Convers. ad Cler. c.  
30. (r) Ep. 70.

ANIMA MUNDO PRETIOS. 343

equissimus ille animarum estimator Franciscus Xaverius, qui præter alia Cocino scribens P. Simoni Roderico in Lusitaniam, sic habet: (f) Si Regem à meis fidelissimis atque amantissimis consiliis non abhorrere arbitrarer, saluberrimum ei darem consilium, ut quotidie per quadrantem horæ divinam illam sententiam meditando: Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? germanam ejus intelligentiam à Deo peteret, cum sensu animi interiorē conjunctam; & simul suarum precationum omnium illam vellat esse clausulam: Quid prodest homini &c. Ita tu factita, mi Christiane, ita serio meditare, maximè ubi suis nugacitatibus fascinare animum tuum satagit fallax mundus: præ unâ unicâ animâ tuâ, contemne, perde omnia, quia nihil est pretiosius animâ. (t)

(f) Epist. l. 2. ep. 5. (t) Clemens Rom. ep. 3.



## CONSIDERATIO XXI.

### AB RENVNTIATI O MVNDI NECESSARIA.

I. **O**Mnis ex vobis , qui non renuntiat omnibus , quæ possidet , non potest meus esse discipulus. (a) Audis hæc Servatoris & Iudicis tui verba , & adhuc mundo inhæres ? Ergone , inquires , sine mundanarum rerum abrenuntiatione salvare non possum ? Audi Angelicum Doctrinam . Quòd homo totaliter ea , quæ sunt mundi , abjiciat ; non est necessarium ad perveniendum in finem prædictum , nempe beatitudinis æternæ : quia potest homo utens rebus humanais , dummodò in eis finem non constituat , ad beatitudinem æternam pervenire : sed expeditius veniet , totaliter bona hujus mundi abdicando ; & idèo de hoc dantur consilia Evangelii : Si vis perfectus esse , vende quæ habes , & da pauperibus , & habebis thesaurum in cœlo. Matth. 19. &c.

(a) Luc. 14.

(b) Hoc in tuo pono arbitrio, te electionis dominum constituo, non in necessitatem traho. (c) Si vis, inquit, esse perfectus. Non cogo, non impero, sed propono palmam, ostendo præmia: tuum est eligere, si volueris in agone atque certamine coronari. (d) O magni consilii Angele, quām pauci tua sequuntur consilia, qui nec præcepta servant! *exclamat meritò ascetica disciplina peritissimus magister.* (e) Admonere vos volo, ut relinquatis omnia, sed non præsumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo; ut terrena res possideatur, non possideat; ut sub mentis vestræ sit dominio quod habetis; ne, si mens vistra terrenarum rerum amore vincitur, à rebus suis magis ipsa possideatur. Sit ergo res temporalis in usu, æterna in desiderio: sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione. Quasi ex latere respiciatur, quidquid

P. V

[b] x. 2. q. 108. ar. 4. (c) Chrysost. hom. 2. ad Pop. (d) Hieron. ep. ad Demetriad. (c) Haynefve verit. pract. p. 1. feria 3. hebd. 2. post Epiph,

346 CONSIDERATIO XXI.

in hoc mundo agitur : ante nos autem tendant mentis oculi , dum totâ intentione illa conspiciunt, ad quæ pervenimus.... Non ergo, Fratres , audiemus vobis dicere , ut omnia relinquatis ; sed tamen , si vultis , omnia etiam retinendo relinquitis , si sic temporalia geritis , ut tamen totâ mente ad æterna tendatis. Hinc etenim Paulus Apostolus dicit 1. Cor. 7. Tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores , tanquam non habentes sint ; & qui flent , tanquam non flentes ; & qui gaudent , tanquam non gaudentes ; & qui emunt , tanquam non possidentes ; & qui utuntur hoc mundo , tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi.... Nihil sit quod desiderium mentis vestræ retardet ; nullius vos rei in hoc mundo delectatio implicit. Si bonum diligitur , mens in bonis melioribus , id est , in cœlestibus delectetur. Si malum metuitur , mala animo æterna proponantur : ut dum illic esse conspicit & amplius quod diligit , & amplius quod pertimescat , hic omnino non inhæreat. (e) Divitiæ si affluant,

[e] Gregor. hom. 36. in Evang.

## ABRENUNTIATIO MUNDI. 347

occinit Vates, nolite cor apponere. (f)  
At quām illud difficile sit & rarum, mo-  
net Siracides : Beatus vir, qui inventus  
est sine macula, & qui post aurum  
non abiit, nec speravit in pecunia &  
thesauris. Quis est hic, & laudabi-  
mus eum ? (g) Et Sapientia incarnata :  
Amen dico vobis, quia dives difficilē  
intrabit in regnum cœlorum. Et ite-  
rum dico vobis : Facilius est camelum  
per foramen acus transire, quām di-  
vitēm intrare in regnum cœlorum.

(h) Rursus, cūm edifferit parabolam jacti  
seminis : Quod autem in spinas ceci-  
dit, hi sunt, qui audierunt, & à sol-  
licitudinibus, & divitiis, & vo-  
luptatibus vitæ, eentes, suffocantur,  
& non referunt fructum. (i) Apostolus  
verò : Volo vos sine sollicitudine esse.  
Qui sine uxore est, sollicitus est quæ  
Domini sunt, quomodo placeat Deo.  
Qui autem cum uxore est, sollicitus  
est quæ sunt mundi, quomodo pla-  
ceat uxori, & divisus est. Et mulier  
innupta, & virgo, cogitat quæ Do-  
mini sunt, ut sit sancta corpore &  
spiritu. Quæ autem nupta est, co-

(f) Ps. 61. (g) Ecclesiasticus. 31. (h) Matth. 19.

(i) Lyc. 8,

## 348 CONSIDERATIO XXI.

gitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad utilitatem vestram dico; non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi;  
(k) & salutem vestram operandi. Intra-te per angustam portam: quia lata porta & spatio-sa via est, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam! (l) Vide, quanta inter has vias separatio sit, quantumque discrimin. Illa ad mortem, hæc tendit ad vitam. Illa celebratur & teritur à multis; hæc vix invenitur à paucis.... Si ergo odio atque invidia possidemur; si cupiditati & avaritiæ cedimus: si præsentia comoda futuri, præferimus: per spacio-sam viam incedimus. Habemus enim ad hæc comitum multitudinem, & latè similium stipamur agminibus. At verò si ab his omnibus vitiis sumus extranei, si purum ac liberum animum præstamus: & omni cupiditate

(k) I. Cor. 7. (l) Matth. 7.

ABRENUNTIATIO MUNDI. 349

calcatâ , solis studemus divites esse virtutibus ; per angustam viam nitimur : conversatio enim ista paucorum est : estque perrarum atque difficile, idoneos hujus itineris comites reperi-  
re. (m) Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ? Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet : & illi quidem ut corruptibilem coronam accipient ; nos autem incorruptam. (n) Quicumque ad fidei agonem venimus , luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil au-  
tem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident : nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si ves-  
titus quisque cum nudo luctatur, ci-  
tius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt ter-  
rena omnia, nisi quedam corporis in-  
dumenta ? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta ab-  
jiciat, ne succumbat. (o)

**II.** Considerandum est, Fratres di-  
lectissimi, & identidem cogitandum :

(m) Hieron. aut Paulin. ep. ad Celantiam. (n) 1.  
Cor. 9. (o) Gregor. hom. 32. in Evang.

350 CONSIDERATIO XXI.

Renuntiasse nos mundo, & tanquam hospites & peregrinos istic interim degere. ( a ) Quando te interrogavit (*Levita, in Baptismo*): Abrenuntias diabolo & angelis ejus? quid dixisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo & voluptatibus ejus? quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam ejus accipias: teneris adstrictus, & reluctantem te fœnerator adstringit, si recusas, vadis ad judicem, atque illuc tuâ cautione convinceris. Ubi promiseris, considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti, sed minister Christi est. Ergo Chirographum tenetur non in terra, sed in cœlo..... Ergo abrenuntiasti mundo, abrenuntiasti sæculo: esto sollicitus; semper recordare, quid promiseris. ( b ) Huic (*diabolo*) vos renuntiare professi estis: in qua professione non hominibus, sed Deo & Angelis ejus conscribentibus, dixistis, Renuntio. Renuntiate non solùm vocibus, sed etiam moribus: non tantùm sono

[a] *Cyprian. de mortalit.* (b) *Ambros. de sacra*  
*b. i. c. 2.*

## ABRENUNTIATIO MUNDI. 351

linguæ, sed & actu vitæ: nec tantum labiis sonantibus, sed operibus pronuntiantibus. Scitote vos cum callido, antiquo, & veternoſo inimico ſuscepiffe certamen. Non in vobis post renuntiationem inveniat opera ſua; non jure vos attrahat in ſervitutem ſuam. Deprehenderis enim & detegeris Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonſtrans in opere; non tenens promiſſio- nis tuæ fidem: modò ingrediens tem- plum orationes fundere; post modicum in ſpectaculis cum histrionibus impu- dicè clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiaſti? Ut quid claudicatis ambobus inguinibus? (3. Reg. 18.) Si Deus eſt, ite post illum: ſi mundus eſt, ite post illum. Si Deus eligitur, ſerviatur illi ſecundūm ipſius voluntatem: ſi mundus eligitur, ut quid fictum cor Deo accommodatur? Quis- quis contempto Deo ſequeris mun- dum, & ipſe te deſerit mundus. Se- quere adhuc quantum potes fugitivum, & ſi potes, apprehende eum, tene eum: ſed video, non potes; fallis te. Ille enim labiles motus ſuos torrentis iectu

## 352 CONSIDERATIO XXI.

percurrrens, dum te videt inhærentem  
sibi, & tenentem se, ad hoc te rapit  
non ut salvet, sed ut perdat te. Quid  
tibi cum pompis diaboli, amator Chri-  
sti? Noli te fallere. Odit enim tales  
Deus, nec inter suos deputat professo-  
res, quos cernit viæ suæ desertores....  
Eligite amare Creatorem mundi, & re-  
nuntiate pompis mundanis, quibus  
princeps est diabolus cum angelis suis.  
(c) Quæ est domus illius (*diaboli*)?  
Mundus iste. Et vasa illius? pecca-  
tores & infideles habitantes in eo. Au-  
diens ergo mundum domum esse dia-  
boli, fuge mundum, ne diutius habi-  
tans in domo diaboli, iterum fias servus  
ipsius.... Fuge autem mundum, con-  
versatione, non corpore. Nam & ipse  
mundus non naturâ diaboli est, sed  
corruptione. Nec ab initio fecit hunc  
mundum diabolus, sed Deus: postea  
corruptione factus est diaboli. Ergo  
mundus quidem ipse, Dei est: cor-  
ruptio autem mundi, diaboli est. Si  
ergo de mala conversatione recesseris,  
etsi corpore sis in mundo, recessisse  
videris de mundo diaboli, & esse in

(c) August. l. 4. de Symb. ad Catechum. c. I.

## ABRENUNTIATIO MUNDI. 353

Dei mundo. Fuge ergo de mundo, id est, de voluptatibus mundi, ne forte diutiū vivens in possessione operum ejus, fias proprius servus ipsius. (d) Fugiamus in patriam verissimam. Illic patria nobis, & illic pater, à quo creati sumus, ubi est Jerusalem civitas, quæ est mater omnium. Sed quæ est fuga? Non utique pedum, qui sunt corporis. Isti enim quocumque currunt, in terra currunt, & de solo ad solum transeunt. Nec navibus fugiamus, & curribus & equis, qui obligantur & cadunt: sed fugiamus animo, & oculis, aut pedibus interioribus. (e) Quis sapiens animal suum impeditum sarcinâ per angustum iter dirigat, cuius unum latus excelsi montis moles premet, aliud rupes præceps adstituat; ubi si temeritas prævaluerit, aut revertendum est, aut evadendum? Debet itaque quæ sunt onerosa deponere, qui vult ad judicium venire; & terrena contemnere, cui est animus cœlestia possidere. (f) Debet ex integro terrenis actibus abrenuntiare, qui

(d) Auth. op. imp. in Matth. ho. 29. (e) Ambros. l. de Isaac & anima c. 8. (f) Valerian. hom. 2.

354 CONSIDERATIO XXI.

vult cœlestibus mandatis satisfacere.  
(g) Nónne spes nostra non est de hoc  
sæculo? Non amemus sæculum. Ab  
amore sæculi vocati sumus, ut aliud  
sæculum speremus & diligamus. (h)

III. Egredimini filiæ Sion. (a) Egre-  
dimini, id est, exite de sollicitudini-  
bus & cogitationibus sæculi: exite de  
angustiis corporalibus; exite de va-  
nitatibus sæculi. (b) Helias ad cœlo-  
rum regna festinans, non potest ire  
cum pallio, sed mundo immundo om-  
nia dimittit. (c) Adolescenti cuidam,  
qui S. Augustinum sibi Patronum ad-  
optaverat, objectum est hujusmodi  
sonnum. Tanquam invitatus com-  
parabat se ad celeberrimum convivium,  
cum aliquot aliis qui præcesserant. In-  
tereà virum videt venerabili specie,  
qui eum à turba seducens, hæc itera-  
bat: Transite vana, transite vana.  
Tum conversus ad alios: Et hic, in-  
quit, statuit deservire Deo. Hoc mi-  
rificè excitatus adolescens & confir-  
matus viro, vanitatibus spretis, Deo  
in religiosâ domo se mancipavit, ut

(g) Idem ho. 3. (h) August. serm. 39. de Verb.  
Dom. (a) Canic. 3. (b) Ambr. l. de Isaac c. 3.  
(c) Hieron. ep. ad Julian.

## ABRENUNTIATIO MUNDI. 355

decreverat. (d) *Monachus quidam cum paradisum videret, in eumque vellet ingredi, audivit ab Angelo: Nemo piger huc ingreditur. Ite, certate, contemnите vanitates saeculi.* (e) *Quia qui contempserit saecularia, ipse merebitur semper terna: nec potest quisquam meritum regni coelestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem.* (f) *Impossibile est & in praesenti saeculo bona consequi & in futuro.* (g) *Non enim ad imperium cœlorum pervenitur superbiâ, divitiis, prefecturâ: sed humilitate, paupertate, lenitate.* Arcta enim & angusta est porta, quæ dicit ad regnum (Matth. 7.) Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit... Ideò nudi in saeculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lavacrum; ut nudi quoque & expediti ad cœli januam properemus. (h) *Hoc ipsum nos docuit Salvator, nudus in crucem*

(d) Litt. ann. Soc. 1588. Colleg. Paris. P. le Blanc in Ps. 113. n. 27. (e) Moschus prat. spirit. c. 130. (f) Ambr. l. 5. in Luc. (g) Origin. in Ps. 36. ho. 2. (h) Ambr. serm. 10.

## 356 CONSIDERATIO XXI.

ascendens. Hunc imitatus Job, auditâ rerum omnium ac liberorum jacturâ, surrexit, & scidit vestimenta sua. (i) Ob hoc conscidit, ait Origenes, ut expeditior, atque constantior extitisset in prælio; ut illa quæ retardant, depoñeret; ut illa quæ impediunt, à se projiceret; ut tanquam audacissimus præliator, & tanquam singularis monachus adversus innumeros inimicos, & adversus inæstimabiles adversarios singulariter immobilis perficiasset. (k) Agite, exuamus omnia. Nudus enim constitit adversarius. Numquid inerti iunctantur pugiles? Nonne certaminis lex jubet eos nudos in stadium ingredi? sive calor sit, sive frigus, depositis vestimentis ingrediuntur. Si quis nuditatem recusat, idem certamen recusare necesse est.... Quomodo pugnabit adversus spiritualia nequitiae (Eph. 6.) qui possessionibus vacat acquirendis, ut undique possit facile supplantari? Quomodo cum avaritiæ spiritu certabit, qui pecuniis obruitur? Quomodo curret adversus dæmones omni nudos sollicitudine, qui

(i) Job. 1. (k) Orig. libr. I. in Job.

## ABRENUNTIATIO MUNDI. 357

curis indutus est innumerabilibus ?...  
Insidiis nudus aut non petitur , aut  
ægrè capitur. (l) Fuge cum Ioseph , qui re-  
licto pallio nudus de manibus impudicæ do-  
minæ effugit. (m) Fuge cum adolescentे illo,  
qui amictus sindone super nudo , cùm  
tenerent eum Christi comprehensores , re-  
jectà sindone nudus profugit ab eis.  
(n) Fuge cum innumeris Christi Athletis ,  
qui generosâ mundi fugâ , rerum omnium  
spontaneâ nuditate , de principe mundi  
hujus , de rectoribus mundi tenebra-  
rum harum , feliciter triumpharunt . Sic  
triumpharunt Iosaphatus Abenniris Indianum  
Regis filius , qui veritatem & fidem edoc-  
tus à Barlaamo , rebus omnibus abdicatis  
atque ad eò regiâ potestate , in altam eremum  
se contulit , futurus aptior cælo , Deo fami-  
liarior : Ioannes Chrysostomus , qui etiam  
matris viduæ , alteras nuptias renuentis in  
eius gratiam , lacrymas contempsit , ut om-  
nium nudus , pro Deo , pro salute decertaret :  
Franciscus Assisas , qui rejectis etiam ves-  
tibus , patri concessit omnia , illud subjun-  
gens sibi in posterum majorem facultatem  
fore dicendi : Pater noster qui es in cæ-  
lis , apud quem omnem thesaurum

(l) Nilus Abb. Lib. ascetico. [m] Gen. 39.

(n) Marc. 14.

## 358 CONSIDERATIO XXI.

reposui, & omnem spem collocavi:  
Thomas Aquinas, superatis fortiter matris,  
fratrum, ac sororum minis atque blanditiis:  
Maurontus Catuacensium sive Duacensium  
Dux, illustrissimo genere, opibus immensis,  
honorum affluentia, regis gratia, modestia  
religiosa postpositis, suoque exemplo per-  
mot a Hermingarde sponsa, ut aeterno sponso  
Christo fidem adstringeret: Aloysius Gon-  
zaga, Marchionis Castilionensis primogeni-  
tus, perruptis omnibus, quae pater, quae alii  
objiciebant, impedimentis: Stanislaus Kostka,  
acribus parentis litteris minisque nihil di-  
motus a proposito religionis, quam adierat  
capebita pauperis habitu fugâ; innumeri  
denique alii sic triumpharunt, quorum  
magnam seriem exhibent sacri fasti in dies  
singulos. Nec poteris sine stupore, atque  
utinam & imitatione! legere ( sive apud  
Sacchinum nostrum, (o) sive apud Mat-  
thiam Tanner ) (p) capitale odium, quo  
Rudolphus Aquaviva Dux Atriæ filius se-  
culum prosecutus est, sic, ut nihil sibi su-  
litis, nihil quietis esse duceret ac diceret,  
quin evictis tandem patre, fratre Cardina-  
li, ipsoque supremo Pontifice, admitteretur  
in minimam IESV Societatem tanquam in

[o] Histor. Soc. P. 3. l. 4. (p) Sec. IESV milles.

## ABRENUNTIATIO MUNDI. 359

portum felicitatis ; dignus proinde , qui ve-  
luit Christum mundi contemptu secutus fue-  
rat , ita pro ejusdem fide vitam & sangu-  
inem profunderet ; uti nudatis generosè da-  
tisque cervicibus occubuit , crudeliter à Chris-  
tianæ religionis hostibus enectus in India.  
Vtinam & ejusmodi nos capiat rerum terre-  
narum tedium , quod quondam clarissimum  
fidei Catholicæ testem in nova Francia Pa-  
trem Ioannem de Brebeuf : Cœpit me , in-  
quiebat ille alicubi , magna aversio re-  
rum creatarum , quæ tandem in mor-  
te deserendæ sunt. Ita quotidie me  
geram , quasi quotidie , imò singulis  
momentis , moriturus. In Deo solo  
quiescit cor meum , & præter ipsum ,  
nihil mihi sunt omnia , nisi propter  
ipsum. ( q ) Ita mundum fuge ut in te  
maneat Deus : quia in his , qui amorem  
mundi Dei amori præponunt , non  
dignatur Divinitas sibi facere mansio-  
nem ; & impossibile est eos à Deo regi ,  
qui se diabolo tradidere , ( r ) eundo post  
suas & mundi concupiscentias. Totus mun-  
dus in malo situs est ( i. Joan. 5. ) Ergo  
qui extra malum esse vult , necessariò  
sele à mundo segregabit. ( s )

[ q ) Tanner sup. ( r ) Cyprian. de Iejun. & tentat.  
Christi. ( s ) Nyssen. Orat. 5. de orat. Domin.

CONSIDERATIO XXII.

CONTEMPTVS MVNDI QVÆSTVOSVS.

I. **O**Mnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. (a) Hæc sunt verba, quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam hominibus persuadere paupertatem. Hæc sunt, quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum spoliant, & optimæ quæque ejus vasæ diripiunt. Hic sermo vivus & efficax, convertens animas felici æmulatione sanctitatis, & Veritatis promissione fideliter Neminem Christus excipit. Miseri igitur qui dicunt, præter nos, qui excludunt semetiplos, & excipiunt à beneficio generali. Quid istud miserie est,

(a) Matth. 19.

L.  
S.  
n,  
ut  
i,  
n  
m  
nt  
in  
D-  
ec  
it,  
o,  
t,  
it.  
r-  
i-  
li-  
ji-  
x-  
à  
rie  
st,  
CONTEMPT. QUÆSTUOSUS. 361

est, quod ad verbum tantæ promissio-  
nis, negligentia humana dormitat ?  
Quid insanæ est, quod cunctantur  
homines relinquere simila pro centu-  
plis? Ubi est cupidus, ubi est ambitio-  
sus, ubi conqueritor hujus saeculi ?  
Quid ad fidele negotium, & nundi-  
nas quæstuofissimas, avaritia intepuit  
& obdormivit humana? Cui id Iudæo  
negares, o homo, qui in vanum ac-  
cepisti nomen Domini nostri JESU  
CHRISTI? Cui sacrilego dare, quid-  
quid habes, pro centuplo cunctareris?  
Sed execrabilis tibi est manus Domi-  
ni, ut nullam ab eâ commutationem  
recipere, non ei in ratione dati &  
accepti communicare penitus acquies-  
cas. An forte non ex odio, sed ex  
incredulitate vel crudelitate detrectas ?  
Nam id mihi, fateor, credibilius est.  
Nemo enim perire magis optaret mi-  
nimæ cujuspiam consolationis obten-  
tu, quam in maxima exultatione sal-  
vari. (b) Avare, an parvum tibi est,  
si te impleat ipse Deus? Quid tibi de  
his, quæ fecit Deus, sufficit, cui

Q

(a) d. alio (b) E. mero. or. T. u. s. (c)  
(b) Bernard. declamat. Ecce nos reliquimus.

## 362 CONSIDERATIO XXII.

Deus ipse non sufficit ? (c) Idem tibi dicitur, ô ambitionis & voluptatum sectator. Plus centuplo, plus millicuplo, plus quam desiderare queas, obtinebis, si terrenis vanitatibus & nihilitatibus, (quas tu divitias, honores, & voluptates appellas & amas) renuntiayeris. Deum ipsum, qui est omnia in omnibus, possidebis. Audi Apostolum, qui omnibus abdicatis, gloriari renuit, nisi in cruce Domini nostri Iesu CHRISTI : per quem, inquit, mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. (d) Quid autem ille mundo crucifixus, mundo nudus ? Habeo autem omnia, & abundo. (e) Superabundo gaudio. (f) Et de omnibus mundi abrenuntiatis : Quasi tristes, semper autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes : tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. (g) Nempe, ut rectè pronuntiat B. Petrus Damiani : (h) Exul mundi, hæres est paradisi : abnegator sui, sectator est Christi. Et S. Ambrosius : (i) Exul est mundi, fugitans corporis, fugitans passionum, qui abdicat se omnibus,

[c] August in Ps. 20. conc. 3. (d) Galat. 6. (e)  
Philip. 4. (f) 2. Cor. 7. (g) 2. Cor. 6. (h) Opusci  
11. c. 16. (i) De fuga sæculi c. 2.

CONTEMPT. QUÆSTUOSUS. 363

ut solus remaneat , sicut Elias dixit :  
En ego relictus sum solus ; ( 3. Reg. 19. )  
sed non erat solus , cum quo erat Christus .  
Et ipse Dominus relictus est solus ;  
sed non sum , inquit , solus ,  
quoniam Pater mecum est . ( Joan. 16. )  
*Qui ergo mundo renuntiat , discipulus & minister est Christi , qui & ait : Siquis mihi ministrat , me sequatur ; & ubi sum ego , illuc & minister meus erit .*

( k ) *Et è contrario : Omnis ex vobis , qui non renuntiat omnibus quæ possidet , non potest meus esse discipulus ; ( l ) atque adeò non erit illuc ubi est ipse Christus . Porro ministrorum & discipulorum Christi sors & portio Deus est , ut Levitarum , quia fugitantes sunt mundi hujus , ut placeant Deo : relinquunt patriam , parentes , filios , omnem cognitionem , ut adhæreant uni Deo.... Ergo cui Deus portio est , nihil debet curare nisi Deum , ne alterius impediatur necessitatis munere . ( m ) Iis qui omnia reliquerint , Deus portio est : ipse est utique merces perfecta virtutum , qui non cen-*

*tra eos a deo autem q. mino Q ij . ann.*

( k ) *Ioan. 12. ( l ) Luc. 14. ( m ) Ambros. de fuga  
seculi 6. 2. ( o ) . 3. nro. 8 u. 27. i. r. ( p )*

## 364 CONSIDERATIO XXII.

tupli enumeratione, sed perfectæ plenitudinis æstimatione censetur. Ego, inquit, Deus tuus sum. Non dixit, ero; sed jam sum, jam inhabito, jam possideo. (n) Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israël. (o) Negatur his terrena divisio, ut ipsi dum sæcularem non vindicant portionem, fiant cœlestis possessio: vel hoc solum noverint possidere, hoc est, fidei & devotionis obsequium, multò ditiores, quām qui possessionum suarum spatia ampla diffundunt. Quantumlibet fines suos extendant, & terra deficit, & mare includit insanas cupiditates, & pendunt tributa majora, quām fructus sunt. At verò iste nihil possidens, nulli nisi Deo militat, supra terram ejus est portio, non cum terrâ deficit, non mari clauditur. Cui portio Deus est, totius est possessio naturæ. Pro agris igitur ipse sibi latit est, habens bonum fructum qui non possit perire. Pro domibus satis est sibi, ut sit habitatio Domini, & templum Dei, quo nihil est pretiosius. Quid enim pretiosius Deo? Aut

(n) Ambr. in Ps. 118. serm. 8. (o) Numer. 18.

CONTEMPT. QUÆSTUOSUS. 365

quid deest ei viro, qui potest dicere : Non contingat mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri &c. ( Galat. 6. ) Non potest in hoc princeps mundi hujus sibi consortium vindicare, in quo nihil suum invenit. Ideoque Dominus, qui venit docere ut fieret nobis Deus portio , ait : Venit enim hujus mundi princeps , & in me invenit nihil. Joan. 14. (p) Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Deum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Prophetâ dicit : Pars mea Dominus ( Ps. 15. ): nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit praeter Dominum, pars ejus non erit Dominus. (q) Hic enimverò est thesaurus ille absconditus, margarita illa pretiosa, (r) bonorum omnium pretio seu contemptione comparanda.

II. Mundus transit, & concupiscencia ejus : & relinquere hæc, magis expedit, quam relinqu. Sed nec

Q iij

(p) Ambr. in Ps. 118. serm. 8. (q) Hieron. ep. ad Nepotian. (r) Matth. 13.

## 366 CONSIDERATIO XXII.

inutilis commutatio , pro eo qui super omnia est , omnia reliquise. (a)

Qui vult salvus esse , supra mundum ascendet , quærat Verbum apud Deum , fugiat hunc mundum , terras relinquat . Non enim potest percipere illud quod est , & est semper , nisi priùs hinc fugerit . Unde & Dominus volens Patri Deo appropinquare Apostolos , ait :

Surgite , eamus hinc . ( Joan. 14. )

(b) Mori oportet hominem in carne mundo , ne moriatur in anima Christo . Nam verè tunc vivere quisque creditur , si secundūm sæculūm moriens , in solo Deo vivere delectatur . (c)

Moriendum est mundo , ut Deo in sempiternum vivamus . (d) Quid vis ?

utrum amare temporalia , & transire cum tempore ; an mundum non amare , & in æternum vivere ? (e) Fuge

modò mundum , ut sequaris Deum : declina modò pravorum consortia , ut

tunc valeas sequi Beatorum agmina . (f) Et quis non contemnat dulcedinem hujus sæculi , inhians bonis vitæ

(a) Bernard. ser. Ecce nos reliquimus . (b) Ambri. de fuga sæculi c. 1. (c) Isid. Hispal. sentent. l. 3. c. 65. (d) August. serm. 49. de Tempore (e) Idem th. 2. in ep. Ioan. (f) Bonav. soliloq. c. 3.

CONTEMPT. QUÆSTUOSUS. 367

æternæ? (g) Quis fructus quæve utilitas, ea indesinenter cupere, quæ etsi non deserant, deserenda sunt? Amor rerum deficientium ad incorruptibilia transferatur, & ad sublimia vocatus animus cœlestibus delectetur. (h) Sursum vocatos animos terrena desideria non depriment; ad æterna præelectos peritura non occupent; viam veritatis ingressos, fallaces tenebræ non retardent; & ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac valle mundi cognoscant, in qua etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. (i) Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Annon ea satiùs cum honore spernis, quām cum dolore perdis? Annon ea prudentius Christi cedis amori, quām morti? Est in insidiis prædo: cuius manibus nec te nec tua potes subducere. Non poterit prævideri, quia tanquam fur in nocte, ita veniet. (k) Facilè spernunt terre-

Q iij

(g) Prosper sentent. 226. (h) Leo serm. 5. in Epiph. (i) Leo serm. 2. de Ascens. (k) Bernard. ep. 103.

## 368 CONSIDERATIO XXII.

na, qui cœlestia sperant. Qui terrena magnopere complectuntur, nescio si firmiter cœlestia credant promissa.

(*l*) Si bona querimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus: si autem mala pertimescimus, illa timeamus, quæ à reprobis sine fine tolerantur.

(*m*) Divitiae si diliguntur, ibi serventur ubi perire non possunt. Honor si diligitur, illuc habeatur, ubi nemo indignus honoratur. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adeptæ nihil timetur. Vita si diligitur, ibi requiratur ubi nullâ morte finitur.

(*n*) Trans ergo mundum, ut incipias esse supra mundum. (*o*) Obluctare quasi bonus miles Christi Jesu, & inferiora obliviscens, terrena despiciens, ad cœlestia & æterna contendere. Attolle animam tuam, ne eam illiciat esca laqueorum.... Subjiciamus animam nostram soli Christo. (*p*) Jugum Christi leve est, quia servientes Christo, operamur bona, quibus pennati in alatum provehimur. (*q*) Huic jugo Chri-

(*l*) Author op. imperf. in Matth. bo. 12. (*m*) Gregor. Regist. l. 6. ep. 26. (*n*) August. ep. 45. ad Armentar. (*o*) Ambr. in Ps. 45. (*p*) Ambr. de bono mortis. c. 6. (*q*) Paulin. ep. 4. ad Sever.

sti qui subjectus est, subjecta habet cetera. (r) Veniens JESUS ut Dei amicos ficeret obedientes sibi, gladium & divisionem misit in terram. Sermo namque & doctrina illius dividit & abjungit à terrenis & materialibus rebus, per hæc præparans ut inimicitiae sint apud mundum, & unitas apud Deum : hæc sunt amicitiae apud illum. Quapropter & pacem dat, non sicut mundus, amanti. Ille namque per pacem, quam dat, ad corporeos actus invitat, amatores concupiscentiæ & passibiles eos facit. JESUS autem pacem præbens, amicos Dei constituit, ex toto corde eum diligentes. Mundum verò intelligere debemus, desideria corporalia, & conversationem hujus mundi. (s) Tunc erit apud homines eminens Christi scientia, quando fuerit ab eis propter Christum mundus contemptus, ait Primasius explicans illud Apostoli : Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam IESU CHRISTI Domini mei :

Q. v

(r) August. l. de vera relig. c. 35. (s) Didymus in Jacob. 4.

370 CONSIDERATIO XXII.

propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. (t) O quam alta scientia ! quam immensum lucrum ! Nam in Christo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi : in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter : (u) ut qui hunc agnoscit, nihil ultra requirat, nec sapientiam, nec virtutem, quia agnovit eum, in quo perfecta virtus, perfectaque sapientia est. (x) Et qui invenit JESUM, invenit thesaurum bonum, imò bonum super omne bonum. (y) Si qui ergo, rerum temporalium & mutabilium amore contempto, in illius dilectionem transeunt : in ipso erunt pleni, in quo nihil indigetur ; in eo securi, in quo nihil metuitur ; in eo verè semperque gloriosi, cuius vera & sempiterna gloria, nec aufertur, nec minuitur, nec augetur. (z) Verè igitur felix, qui cum Propheta psallere potest : Portio mea es, Domine : (aa) Omnibus aliis rebus contemptis, ac pro

(t) Philip. 3. (u) Coloss. 2. (x) Ambr. in c. 2. ep. ad Coloss. (y) De Imitat. Christi l. 2. c. 8. (z) Fulgent. ep. 6. ad Theodor. de conversione c. 4. (aa) Ps. 118.

CONTEMPT. QUÆSTUOSUS. 371

nihilo habitis, te portionis meæ, & opum, ac copiarum loco habeo. (bb)

III. Nemo cùm despicerit mundum, reliquissè se arbitretur ingentia: quia omnis terra ad infinitatem comparata cœlorum, brevis ac parva est.

(a) Omnem terræ ambitum, sicuti astrologicis demonstrationibus accepti, ad cœli spatum, puncti constat obtinere rationem: id est, ut si ad cœlestis globi magnitudinem conferatur, nihil spatii prorsus habere judicetur. (b)

Vnde magno illi mundi contemptori Benedicto, sicut ipse narravit, omnis etiam mundus velut sub uno solis radio collectus, ante oculos ejus adductus est.

(c) Istud tamen punctum, aut etiam puncti punctulum, quod obtines, fragilemque illum globulum si contempseris, immensa cœlorum spacia, opes, gaudia, voluptates, Deum quin ipsum, nunquam amissurus, possidebis, jam nunc Dei hæres & possessor. Modica, transitoria, terrena sunt, quæ despicias: maxima, æterna, cœlestia sunt, quæ appetis. De profundo fluctuum emer-

(bb) Chrysost. ibi.

(a) Anton. in vita per Athanas. c. 5. apud Eoland.

(b) Boët. l. 2. de consolat. prosa 7. [c]

Gregor. l. 2. dialog. c. 35.

## 372 CONSIDERATIO XXII.

gis ad portum : de miserâ servitute, in  
felicem libertatem respiras : de morte  
denique transis ad vitam. (d) Quare  
*exultabundus dic cum Laurentio* : Ego fe-  
lici commercio terrena pro cœlesti-  
bus, transitoria pro æternis commuto.  
(e) Et cum Gilleberto Abate : Omnia di-  
mitto , ne dimittam illum ( Dominum):  
omnia detrimentum facio, ut Christum  
lucrifaciam. (f) Senties enimverò quām  
verè centuplum, & plus longè centuplo in  
hac etiam vitâ percipiās. Id quod Arnulphus  
ille Cisterciensis (ut refert Platus (g) ex  
historiis Ord. Cisterc.) reipsa expertus est.  
Is Bernardi concionibus à sæculi opibus &  
delitiis ad Monasticam vitam avocatus, cùm  
aliquando inter gravissimos viscerum dolores,  
diu exanimis, mutusq; jacuisset; ut ad se re-  
diit, in eam vocem erupit : Vera sunt om-  
nia, quæ dixisti Domine JESU : quod  
cùm sapiùs iteraret, omnes qui aderant stu-  
pentes, percunctabantur quomodo se haberet:  
ille autem nihil aliud respondebat, quām  
illud idem : Vera sunt omnia, quæ locu-  
tus est Deus ; ac tandem apertiùs decla-  
ravit , experiri se maximâ suavitate animi,

(d) Bernard. ad sanctimon. ep. 114. (e) Nieren-  
berg. hom. 8. de jugo Christi s. 2. (f) Gilheb. in  
Cant. serm. 12. (g) De bono stat. relig. l. 3. c. 13.

quod de centuplo promisit Christus. Exper-  
tus est & professus ejusdem promissi veri-  
tatem Thomas Pondus nobilis Anglus, qui  
inter saltandum coram Elisabetha regina, ex  
prono in terram casu, plausu in risum mu-  
tato, vulgatum illud latinè prolocutus, Sic  
transit gloria mundi, proripuit se, ac dein-  
de aulam spesque fallaces deseruit; tandem  
inter nostros admissus, pérque varios carce-  
res, Christi causâ, raptatus, identidem dice-  
bat: Hanc, quam pro Societatis togâ,  
gero vestem, non regiâ coronâ com-  
mutaro. (h) Divinam illam centupli &  
vitæ æternæ sponsionem sapientissimè præ-  
habuit opibus omnibus, à Bernardo aliisque  
fratribus ipsi relictis, Nivardus natu mini-  
mus. Cùm enim Bernardus unà cum fra-  
tribus suis ad Monasterium pergeret, Vi-  
dens Guido primogenitus fratum suo-  
rum Nivardum fratrem suum mini-  
mum, puerum cum pueris aliis in pla-  
tea, Eia, inquit, frater Nivarde, ad te  
solum respicit omnis terra possessionis  
nostræ. Ad quod puer non pueriliter  
motus, Vobis ergo, inquit, cœlum;  
mihi terra? Non ex æquo divisio hæc  
facta est. Quo dicto, abeuntibus illis,

(h) Henr. Morus hist. Anglic. l. 2. n. 16. & seqq.

## 374 CONSIDERATIO XXII.

tunc quidem domi cum patre remansit; sed modico post evoluto tempore, fratres secutus, nec à patre, nec à propinquis seu amicis potuit retineri.

(i) Eadem ista Christi sponsio, ac bonorum cœlestium quaestus omni pretio comparandus, innumeros movit etiam Principes viros ac feminas, ad opes, delicias, sceptra, diadema-ta, generoso fallacis inanisque mundi despe-ctu contemnenda. Plures ex illis Imperatores ac Imperatrices, Reges, Reginas, Regios libe-ros, exhibet Hieronymus Platus volumine De bono status religiosi. (k) Exhibit & orbe cursim per regna & provincias velut obito Thomas le Blanc; (l) apud quem Matthæus Oliverius in Epistola dedi-catoria in Chronicon generale Ordinis S. Benedicti Antonii de Yepes, ait, in eum unum Ordinem intrasse viginti & unum Impera-tores, quadraginta quatuor Reges, quinqua-ginta quatuor Reginas, viginti septem Im-peratrices. In una Anglia ( ut refert P. Matthias Tanner, (m) agens de P. Edman-do Donato Hiberno ) duobus tantummo-dò sæculis ad 30. fuere Reges & Re-ginæ, qui, abjecto regno, in solitudines

[i] Guiliel. Abb. in vita S. Bernard. l. 1. c. 5.  
(k) præfertim l. 2. c. 26. & 27. (l) in Ps. 83. n. 68. (m) Societas IESV militans,

evalere: Reges 15. Monachos profesi, Reginæ undecim Moniales. Nempe sapiebant illi, & intelligebant quām modicum sit, imò nihilum, quidquid mundus universus habere putatur, præ eo, quod diligentibus se præparat & largitur Deus. Cujus quidem spōsionis ac munificientia certitudinem & suavitatem si cognoscerent homines, id futurum existimo, { quod dicere solitum B. Laurentium Iustinianum de Religionis jucunditate, refert Platus } (n) ut mundus planè totus exhauriretur; ita se omnes tenere non possent, quin ad eam concurrerent. Tu, mi Christiane, hanc divini Scriptoris sententiam altè menti imprime, & secundùm eam vive: Non potes perfectè amare Deum, nisi contemnas te ipsum & mundum propter Deum, qui tibi reddit centuplum in præsenti, & vitam æternam in futuro.... Sapiens ergo, qui Deo servit, & sæculum cum suis delectationibus funditus spernit. (o) Cum eodem supplex dic: Non me vincat, Deus meus, non me vincat caro & sanguis; non me decipiatur mundus, & brevis gloria ejus; non me supplantet diabolus, & astutia illius. (p)

(n) Debono stat. relig. l. 3. c. 7. (o) Th. à Kempfort. ros. c. 2. (p) De imit. l. 3. c. 26,



## CONCLUSIO.

**V**Anitas vanitatum , dixit Ecclesiastes , & omnia vanitas. (a) Eodem illo , quo inchoavit , versu , librum absolvit Sapientissimus Orator : & ego paucas hasce considerationes , quibus aliae addi poterunt Deo annuente. Ceterum , quam hic habes , mi Christiane , uberem seriae meditationis materiam , attentâ mente identidem volve , revolve , & studiosè in animum demitte ; ut spretâ pessimumque datâ mundi vanitate , oriatur crescâtque in te amica lux Veritatis , & cœlestis amor cultusque Sapientiae. Philosophia christiana non in cognitione sistit , sed ad operationem praximque tota dirigitur. Vnde summus , qui & unus Magister noster est : Omnis , inquit , qui audit verba mea hæc , & facit ea , assimilabitur viro sapienti. (b) Non ergo qui audit tantummodo , similis erit , sed qui facit quæ audierit. (c) Justitia illius in filios filiorum , his qui ser-

(a) Eccle. 12. (b) Matth. 7. (c) Ambros. in Ps. 118. serm. 10.

## CONCLUSIO. 377

vant testamentum ejus, & memores  
sunt mandatorum ipsius, ad faciendum  
ea. (d) Vide ut præcepta teneas. Sed  
quomodo teneas? non memoriâ, sed  
vitâ. (e) Si vis benedicere Dominum, fac  
verbum ejus, fac voluntatem ejus. In  
petra ædifica, non in arena. (Matth.7.)  
Audire & non facere, in arena ædi-  
ficare est. Audire & facere, in petra  
ædificare est. Si in arena ædificas, rui-  
nam ædificas. (f) Atque idem Magister  
Christus, non voce prius, quam facto, con-  
temptum mundi nos edocuit: Cœpit J-E-  
S U S facere, & docere. (g) Iis vero,  
qui ejus esse discipuli volebant, quid præfiri-  
bit? Venite post me: Tollite jugum  
meum super vos: Vendite quæ possi-  
detis, & date eleemosynam: Qui non  
renuntiat omnibus quæ possidet, non  
potest meus esse discipulus; & his si-  
milia, quæ pañim occurrunt in Evangelicis  
paginis. Et, postquam lavit pedes Dis-  
cipulorum, cum recubuisse iterum, di-  
xit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos  
vocatis me, Magister & Domine: &  
benè dicitis: sum etenim. Si ergo ego  
lavi pedes vestros, Dominus, & Magi-

(d) Ps. 102. (e) August. ibi. (f) Idem in v.  
21. ejusd. Ps. (g) Attor. 1.

## 378 CONCLUSIO.

ster: & vos debetis alter alterius lava-  
re pedes. Exemplum enim dedi vobis,  
ut quemadmodum ego feci vobis, ita  
& vos faciatis. (h) Illud unum petens  
à Discipulis, quod postea Augustinus ab illis  
quos auditores habebat, veluti præcipua  
mercedis nomine: Si me libenter Magi-  
strum vocatis, reddite mihi mercedem:  
Boni estote. (i) Itemque, quod à militibus  
suis Abimelec: Quod me videtis facere,  
citò facite. (k) Non enim auditores  
legis justi sunt apud Deum, sed facto-  
res legis justificabuntur. (l) Quam-  
obrem si hodie inter legendum meditandum  
que vocem Domini audieritis, nolite  
obdurare corda vestra. (m) Videte ne  
recusetis loquentem. (n) Beati qui  
audiunt verbum Dei, & custodiunt  
illud. (o) Velociter currit sermo ejus;  
(p) & velocem habere desiderat se-  
quentem. (q) Quid adhuc retardatis?  
& quid dicitis in his? Animæ vestræ  
sitiunt vehementer. Aperui os meum,  
& locutus sum: Comparete vobis sine  
argento: & collum vestrum subjicite

(h) Ioan. 13. [i] August. l. 1. de ordine c. 10.  
(k) Iudic. 9. [l] Rom. 2. (m) Ps. 94. (n) Hebr.  
12. (o) Luc. 11. (p) Ps. 147. (q) Inter opera Ber-  
nardii ser. de virt. obedientie.

## CONCLUSIO. 379

jugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est invenire eam.  
(r) Quare vis procrastinare propositum tuum? Surge, & in instanti incipe, & dic: Nunc tempus est faciendo, nunc tempus est pugnandi, nunc aptum tempus est emendandi. (s) Turpem tristemque tergiversationem in se Augustinus postquam cognovit, mirè & dignè detestatus est, sic Domino confitens: Non erat quod tibi responderem dicenti mihi, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus (Ephes. 5.): & undique ostendenti vera te dicere, non erat omnino quod responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta & somnolenta: Modò, Ecce modò: &, Sine paululum. Sed modò & modò non habebant modum: &, sine paululum, in longum ibat. (t) Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam, & submurmurabant: Dimitinne nos? & à momento isto non erimus tecum ultrà in æternum? & à momento isto non tibi licebit hoc &

(r) Eccli. 51. (s) De imit. l. 1. c. 22. (t)  
August. l. 8. confess. c. 5.

## 380 CONCLUSIO.

illud ultrà in æternum? Et quæ sug-  
gerebant in eo quod dixi, hoc & il-  
lud, quæ suggerebant Deus meus?  
Avertat ab anima servi tui misericor-  
dia tua: quas fordes suggerebant? quæ  
dedecora?.... Et erubescbam nimis,  
quia illarum nugarum murmur adhuc  
audiebam, & cunctabundus pende-  
bam. (u) Sentiebam enim me ab eis  
teneri, & jactabam voces miserabi-  
les. Quamdiu, quamdiu cras, & cras?  
Quare non modò? Quare non hac  
hora finis turpitudinis meæ? (x) Et ego  
tamdiu nesciens, vanitatem dilexi, &  
mendacium quæsivi. (y) *Audimus* ¶  
*Chrysostomum* clare monentem nihil cunc-  
tandum esse in vita melioris proposito: is  
enim postquam vitam Monachorum, ¶  
ut vocat, Crucifixorum, ab omni perturba-  
tione saeculi vacuam ac tranquillam pulcher-  
rimè descripsit, sic ad auditores converti-  
tur: Multi fortasse fervore accensi,  
hujus optimæ vivendi cupiditate dis-  
ciplinæ nunc capti estis.... Noli dice-  
re, colloquar cum uxore antequam  
proficiscar, negotia mea componam.  
Hæc tarditas negligentiarum initium est.

(u) C. II. (x) C. 12. (y) L. 9. c. 4.



## CONCLUSIO. 381

Memento voluisse quemdam ordinare domum suam, & non fuisse à Propheta dimissum. Quid dixi, domum ordinare? Sepelire patrem discipulus voluit, & non permisit Dominus. (Luc. 9.) Atqui nulla res tam necessaria videbitur, quām sepeliendi patris officium. Christus autem non permisit. Quām nam ob rem? Paratus semper diabolus est, ut ingressum ubique quæritet, & si parvæ tarditatis causam apprehendere, magnam inde constabit desidiam. Propterea quidam admonet dicens, Noli de die in diem procrastinare (Eccli. 5.) (3) Neque debemus ad multitudinis exempla respicere, quæ nullam morum disciplinam sequens, nullum vivendi tenens ordinem, non tam ratione ducitur, quām quodam impetu fertur. Nec imitandi nobis illi sunt, qui sub christiano nomine gentilem vitam agunt, & aliud professione, aliud conversatione testantur, atque, ut Apostolus ait Tit. 1., Deum confitentur se nosse, factis autem negant. Inter Christianum & gentilem non fides tantum debet, sed

[2] Chrysost. hom. 68. alias 69. in Matth.

## 382 CONCLUSIO.

etiam vita, distinguere, & diversam religionem per diversa opera monstrare. Nolite, ait Apostolus (2. Cor. 6.) jugum ducere cum infidelibus, &c. Sit ergo inter illos & nos maxima separatio. Disjunguntur certo discrimine error & veritas. Illi terrena sapient, qui cœlestia promissa non habent. Illi brevi huic vitæ se totos implicent, qui æterna nesciunt.... Nec turbam sequantur errantem, qui se Veritatis discipulos confitentur. Duas certè conversationis vias, & distinctas in diversum itinera vivendi, Salvator in Evangelio (Matth. 7.) ostendit. Quàm, inquit, spatiofa via, quæ ducit ad mortem &c. (aa) Dicendo, pauci sunt qui inveniunt eam: segnitiem plurimorum evidenter expressit; ac docuit auditores, ut non ad multorum prospera hæc ac læta respicerent, sed potius ad laboriosa paucorum. Nam plures, inquit, non modò per hanc non ingrediuntur viam, sed eam ne eligunt quidem: quod quidem extremæ est omnino desidiæ. Verum nequaquam ad multitudinem

(aa) Hieron. vel Paulin. ep. ad Celantiam.

## CONCLUSIO. 383

oportet aspicere; neque hac exemplorum densitate turbari: sed imitari paucos, qui hoc nos itinere cautissime incedere cohortantur. (bb)

Qui ex Deo est, verba Dei audit. (cc) Si ipse verba Dei audit qui ex Deo est; & audire verba ejus non potest, quisquis ex illo non est; interroget se unusquisque, si verba Dei in aure cordis percipit; & intelliget unde sit. Cœlestem patriam desiderare Veritas jubet; carnis desideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penset ergo unusquisque vestrum, si haec vox Dei in cordis ejus aure convaluit, & , quia jam ex Deo sit, agnoscit. (dd) Magna quoque insania, & graviter vindicanda, cum vilissimus pulvis loquentem ad se audire dēdignatur Creatorem universitatis. (ee) Quid autem vocatis me, Domine, Domine (ait ipse Christus) & non facitis quæ dico? (ff) Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? (gg) Nolite diligere mundum, tuba divina est. Continuò hujus tube

(bb) Chrysost. hom. 23. in Matth. (cc) Ioan. 8.

(dd) Gregor. hom. 18. in Evang. (ee) Bernard. medit. 6. 8. (ff) Luc. 6. (gg) Ioan. 8.

## 384. CONCLUSIO.

verbis, orbi terrarum & universo dicatur mundo, Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Quis quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo. (1. Ioan. 2.) (hh) Cūm à Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quisve sapientior illo? Quid frequentat Evangelium, qui Evangelio non credit? (ii) Sectatores Christi discedere à regia via non licet: sed dignum est, temporalibus non occupari ad æterna tendentes. (kk) Si hominum quispiam clarus ac locuples in locum liberorum te adoptatus acciret, ires per oppositas rerum difficultates, & per quamvis longi recessus iter vectatus accurreres. Deus universitatis rerumque Dominus te in adoptionem vocat, illud ( si velis ) tibi blandum filii nomen impartiens, quo Deum nostrum, unicum suum, nuncupat; & non accensus raperis? non

properus  
edus enid osmico. cf. sni  
C hh ) August. de Verb. Dom. serm. 33. (ii) Ber-  
nard. serm. Ecce nos reliquimus (kk) Leo serm. 2  
de Paß. Dom.

## CONCLUSIO.

385

properus urgeris , ne conditionem tantam celeri occursu mors festina præripiat ? (ii) Quamdiu lingis terram & Amando terram , lingis utique terram , & efficeris inimicus ejus , de quo dicit Psalmus ( 71. ) Et inimici ejus terram lingent . (mm) O homo , quid foris vagaris ? quid foris quærvis ? quid his carnalibus studes ? quid in sæcularibus te implicas ? quid vanitatibus te involuis ? Quantò magis ad mundum accedis , tantò longius à Deo recedis . Quantò magis foris es sapiens , tantò magis intus stultus efficeris . Quid est , homo , quod omnia ordinas ; & teipsum non vis ordinare ? Fervet in corde tuo amor terrenorum : & moritur in te amor æternorum bonorum . Mundum diligis , & Deum relinquis . Omnium recordaris , & teipsum oblivisceris . Quæ super terram sunt , desideras & diligis ; cœlestia verò non curas : appropinquas ad interitum , & elongaris à salute . Curris ad diabolum , & elongaris à Deo . Redi , redi homo prævaricator ad cor ... Vide mi-

R

(ii) Eucher. parænet. ad Valerian. (mm) August.  
serm. 141. de Temp.

## 386 CONCLUSIO.

ser homo , quia totum est vanitas,  
totum stultitia , totum dementia , quid-  
quid facis in hoc mundo , præter id  
solum , quod in Deum , & propter  
Deum , & ad honorem Dei facias. (nn)

Abrumpatur illa interminabilis sæ-  
cularium negotiorum catena , & ille  
de necessitatibus multis unus per to-  
tam vitam labor . Dirumpamus ina-  
nium curarum vincula , quorum suc-  
cedentibus sibi nexibus implicaris ,  
in quibus semper occupatio nostra  
incipit.... Repudiemus mundi parum  
fidi vitam utrobique suspectam , apud  
quem perinde alta atque humilia parum  
tuta sunt . Obteruntur humilitate de-  
pressa , nutant celsa fastigio . (oo) Sa-  
culum quasi mare , ventus validus , &  
magna tempestas . Unicuique sua cu-  
piditas , tempestas est . Amas Deum ?  
ambulas super mare , sub pedibus tuis  
est timor sæculi . Amas sæculum ?  
absorbebit te . Amatores suos vorare  
novit , non portare . Sed cum flu-  
tuat cupiditate cor tuum , ut vincas  
tuam cupiditatem , invoca Christi di-  
vinitatem . (pp) Qui enim veritati in-

(nn) Bernard. serm. de miseria humana. (oo) Eu-  
cher. paræn. (pp) August. serm. 13. de verbis Dom.

## CONCLUSIO. 387

hæret, nullo modo vanitati succumbit. (qq) Festina ergo ad tantum bonum, quia nullo bono efficacius venies ad summum bonum. Plures vidi promittentes & differentes, quos ita mors tulit, ut nec hoc perficerent quo se impediebant, nec hoc inciperent quod promittebant. (rr) Festina, quæso te, & hærentis in salo navicularæ funem magis præcide quam solve. Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. (ff) Ab omnibus oportet te aliquando separari, sive velis, sive nolis. (tt) Ablactare modò ab ipsis corporum formis: pudeat te non posse esse sine ipsis. Et quia ista, sive velis, sive nolis, quandoque es amissurus; fac modò volens cum magna mercede & gratiâ, quod etiam non sine magno supplicio quandoque facturus es. Numquid enim, etsi nullus auferat, non es hanc vitam, & omnia quæ ad illam pertinent, contempturus? Ecce habeto omnia: numquid non es his omni-

Rij

[qq] Gregor. l. 20. mor. c. 24. (rr) Anselm. ep. 3. ad Henric. (ff) Hieron. ep. ad Paulin. (tt) De imitat. l. 2. c. 7.

## 388 CONCLUSIO.

bus quandoque cariturus? Fac ergo modò, quod facturus es, quando omnia amiseris: id est, disce esse sine istis; disce vivere, & gaudere in Domino. (uu) Inopes nascimur in hac vita; inopes recessuri sumus de hac vita. Si bona hujus mundi peritura credimus; cur peritura tanto amore cupimus? (xx) Diu enim cum rebus nostris durare non possumus: quia aut nos illas moriendo deserimus; aut illæ nos viventes quasi deserunt. (yy) Et tamen superba mens nostra, adhuc hoc non vult sponte deserere, quod quotidie perdit invita. (zz)

Non dormiamus sicut & ceteri; sed vigilemus & sobrii simus. (A) Scientes quòd velut somnium sunt omnia sensibilia; & præsentia araneâ imbecilliora, & somniis fallaciora. Igitur sicut audiit Abraham, Exi de terra tua (Genes. 12.) & exivit: exeamus & nos ex affectione consuetâ. (B) Despiciamus præsentes divi-

*lino ait ea non biuptum: simo*

(uu) Guigo medit. c. 7. (xx) Isidor. Hispal. sentent. l. 2. c. 41. (yy) Gregor. 18. mor. c. 12. (zz) Item ho. 5. in Evang.

(A) 1. Thessal. 5. (B) Chrysost. de pœnit. hom. 22. ad pop.

## CONCLUSIO. 389

tias, ut veras divitias invenire valeamus : despiciamus vanam hanc gloriam, ut verâ illâ &c solidâ fruamur : despiciamus præsentem prosperitatem, ut præ ineffabilibus illis nihili faciamus præsentia, ut ad futura præmia excitari valeamus. Neque enim possibile est, ut qui præsentibus est mancipatus, ineffabilium bonorum desiderium concipiatur unquam. Contrà non est possibile, ut qui solida & immobilia illa bona amat, momentanea ista, &c, quæ antequam appareant, marescunt, concupiscat. (C) Ah ! quando tandem pueriles, vanos, & noxios sensus deponemus, mi Christiane ; atque ad illam, S. Augustino quodam loco memoratam, perveniemus maturitatem canitiemque sapientiae ? (D) Quando tantum Deo, quantum mundo ? quando tantum cœlo, quantum terræ ? quando tantum virtuti, quantum vitiis, fragilitas humana famulabitur ? (E) Si vis templum esse veritatis, frange idolum vanitatis... Jam in cor tuum, si pla-

R iij

(C) Chrysost. in Genes. ho. 35. (D) Aug. de mor. Eccl. Cathol. c. 10. (E) Chrysost. serm. 114.

## 390 CONCLUSIO.

cet, intret arca testamenti, & ruat Dagon. (F) Fuge mundum, fuge impostorem, fuge diaboli domum & laqueos. Fuge citò cum magno illo Arsenio, ad primam monentis Dei vocem: fuge procul cum eodem, nec respicias retro, mundi immemor, mortuus mundo. Praestigiatori pessimo, vana, fallacia, momentanea, omnia & nihil promittenti, responde eo animo, iis verbis, quibus olim S. Epiphanius Persarum Regi, magnam auri, argenti, gemmarumque copiam, ob liberatam tartareo infessore filiam, offerenti: Nos omnia contemnimus, ut Veritatem teneamus. Ne in his mihi exhibeas molestiam: Christus enim me docuit his non egere. (G) Dic cum Francisco Salesio: En morior, quid mihi proderunt hæc & illa? Cum Augustino: Quamdiu hæc? Cum Aloysio Gonzaga: Quid hoc ad vitam æternam? Cum Davide: Mihi adhærere Deo bonum est. (H) Cum Tertulliano: (I) Unicum negotium (salutis) mihi est; nec aliud nunc curo, quam ne curem cetera omnia. Dic cum Christo: Quid

[F] August. 10. 10. serm. 14. de sanctis.  
 [G] Surius 12. Miii. c. 16. [H] Ps. 7<sup>2</sup>.  
 [I] Lib. de pallio sub fin.

**CONCLUSIO.** 391

prodest homini, si mundum universum  
lucretur, animæ verò suæ detrimen-  
tum patiatur? (K) Oppone deni-  
que, expensam probè, verissi-  
mam, sapientem, excelsam,  
ac verè divinam, meri-  
tóque suo assiduè nobis  
præ oculis haben-  
dam, vocem if-  
tam: Vanitas  
vanitatum,  
& omnia  
Vani-  
tas.

(K) Matth. 16.

Ad majorem Dei gloriam,  
& Virginis sine labe  
conceptæ.

**FINIS.**


CONCLUSIONS

—menemus δια την περιττην επιφυλακην  
—πολιτειαν οντος την αποτελεσματικην  
—αποτελεσματικην (κ) ? μεταξηραν

卷之三

Major D. E. Shultz  
of Virginia has the  
concession.

FINI





UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


















UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Th  
2969